


CHRISTOPHORI
HEIDMANNI
PALÆSTINA
Sive
TERRA SANCTA
Paucis capitibus distinctè
ordineq; explicata.
Et ab ipso Autore in
ILLUSTR: ACADEMIA IULIA
olim publici iuris facta.
Iam vero ex autographo ejusdē
correcta et emendata, et
Viri Nobiliss: Ampliss: atq; Excellen
HENRICI ERNSTII,
Icti, et Consiliarii Regii
Annotationibus, sive Addendis
illustrata et aucta,
et triplici indice ornata
Ob exemplarium raritatem una
cum quinque tabulis ex Adrichomio
et aliis collectis in studiosæ juventu
tis usum commodiore forma edita
Wolferbyti
Sumptibus Conradi Bunonis. ANNO
CIↃ DC [illegible]XV.



CHRISTOPHORI HEIDMANNI

PALÆSTINA

SIVE

TERRA SANCTA

Paucis capitibus diſtinctè ordineque explicata,
& ab ipſo Auctore in Illuſtri
Academia Julia
olim publici juris facta.
Jam vero ex autographo ejusdem correcta ac
emendata, &

Viri Nobiliſſimi, Ampliſſimi atq; Excellentiſſimi
HENRICI ERNSTII,
JCti, & Conſiliarii Regii
Annotationibus, ſive Addendis illuſtrata ac aucta,
& triplici indice ornata

Ob exemplarium raritatem una cum quinque tabulis
ex Adrichomio & aliis collectis, in ſtudioſæ juventutis uſum commodiore forma edita.
Editio tertia.

VVOLFERBYTI.
Sumptibus Conradi Bunonis,
Typis JOHANNIS BISMARCI.
ANNO cIↄ Iↄ C LXV.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI ET DOMINO,

DN: FRIDERICO III,

DANIÆ, NORVAGIÆ, GOTHORUM ET VANDALORUM REGI: DUCI SLESVICI, HOLSATIAE, STORMARIAE, ET DITHMARSIAE: COMITI OLDENBURGI AC DELMENHORSTI &c: REGI ET DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

humillime offero

Conradus Buno, Chalcographus & Bibliopola Guelferbytanus.

SERENISSIME AC POTENTISSIME REX,
DOMINE CLEMENTISSIME.

MAgna & inconsiderata forsan videor temeritatis, qui alius Principis subjectus imperio, opus alienum AUGUSTISSIMO NOMINI TUO inscribere ac dedicare non sum veritus. Sed, præterquam quod DANIÆ REGES INCLUTI inde ab antiquis temporibus maximi literarum exstiterunt Patroni & Æstimatores, hic ipse libellus, quem ex humillima ac devotissima mente adfero, duplici jure ad Te, REX SERENISSIME, jam pridem pertinebat: quippe quem Clarissimus ac de literis optimè meritus Christophorus Heidmannus, *p. m. in Academia Sorana Tua Professor, boni publici causa olim edidit; Cujus Viri Propria laus est Geographiæ studium, quod cum ingenti solidæ eruditionis detrimento spretum & contemtum passim tum jacebat, ut multis Academiis vix de nomine esset notum, magna cura & industria revocasse, adeoq; reliquas disciplinas, quæ absq; hac face tenebrarum & noctis plenæ sunt, mul-*

tum quoq; illustrasse. Inter opera ejus Geographica, propter insigne lumen, quod adfert Sacram Scripturã lecturis, præcipue eminet hæc Palæstinæ sive Terræ sanctæ descriptio, quæ admodũ placuit doctis & hujus eruditionis cupidis: unde factũ est, ut, exemplaribus magna aviditate distractis, libellus ille prælo subjectus sæpius recuderetur; verum quod fieri malè consuevit subinde pejus nec sine mendis Quum verò Operis utilitas, ipsaq; res literaria exposceret novam adornari editionem, commodum accipio Excellentissimum Virum Henricum Ernstium, *qui Tibi, REX INCLITE, à consiliis est, inter eximios suos praclara & singularis eruditionis thesauros istam quoq; possidere Palæstinam, ab ipso auctore correctam multisq; locis emendatam, quamq; notis suis olim illustraverit Summus ille Vir* Henricus Ernstius; *Correctum istud Heidmanni exemplar, novis commentationibus ita auctum & ornatum flagitavimus à Viro illo Optimo, qui pro facilitate sua & in literas provehendas amore illa nobis non denegavit, sed ut ederentur & publici fierent juris, libenter communicavit. Pro qua prompta ejus voluntate & studio literis commodandi gratias illi merito agimus, & acturi sunt, qui hucefruentur. Optatq;*

Or-

Orbis literatus, ut catera quoq; ejus scripta pridem elaborata in usum & emolumentum rei literaria tandem evulgentur. Quod igitur SERENISSIME REX, Palæstina sive Terra Sancta ab Auctore, qui vestro imperio fuit obnoxius, olim descripta ac edita; eademq; ex bibliotheca Henrici Ernstii *Tui ejusdem lucubrationibus prodit multo illustrior editionibus prioribus, opusculum hoc ad MAJESTATEM T. REGIAM adferri, Tuoq; NOMINI AUGUSTISSIMO illud consecrari omnino par & æquum erat. Exiguo isti, quod mea hic præstitit opella; nihil juris tribuo. Nam quum in hoc ipso libro Tabulæ desiderarentur Geographicæ, quib⁹ loca ab auctore descripta subjicerentur oculis, ac veluti coràm inspicerentur, ut partem illam meâ qualicunq; explerem operâ, auctores & suasores exstitere viri doctissimi, quorum consilio Tabulas Adrichomii, omnium, quæ in Palæstinam extant perfectissimas & accuratissimas in minorem & commodiorem formam redactas adjeci, ipsumq; opusculum hoc denuo typis describi meis curavi sumtibus. Demisso igitur, quantum possum, animo, humillimaq; contentione oro REX SERENISSIME, ut hocce quicquid est*

AU-

AUGUSTISSIMO NOMINI TUO inscriptum Sereno & Vultu Tibi proprio accipere, & meos in re literaria promovenda conatus clementissime fovere velis. Deum Opt. Max. supplex Veneror, uti TUAM MAJESTATEM REGIAM quam diutissime servet incolumem, regnumq; & provincias Tuas omnibus partibus reddat florentissimas.

Majestatis T.

Dabam Guelferbyti
XVI Calend. Maji
MDCLXV.

humillimus & subjectissimus Servus

Conradus Buno Calcographus & Bibliopola Guelferbytanus.

VIRIS

Pl: Reverendis, Nobilisſimis, Amplisſimis, Conſultiſsimis,

SERENISSIMO CELSISSIMOQ; PRINCIPI AC DOMINO,

DN FRIDERICO ULRICO, BRUNSUIC: AC LUNAEBURGENSIUM DUCI, &c.

A CONSILIIS ECCLESIASTICIS,

Dnn. a: Patronis meis multis nominibus mihi honorandis.

Debitam obſervantia offert

Chriſtophorus Heidmannus.

PAlæſtinæ, id eſt ejus terræ, quam ſuo olim populo, Abrahami poſteritati, & pollicitus eſt, & habitandam dedit Deus, magna fuit jam a multis ſeculis veneratio: nec injuria. Ii enim viri eam tenuerunt, aut verſati in ea ſunt, quos nemo intelligens ſine veneratione ſingulari in animum admittere poſſit. Patriarchæ nempe illi ſancti, & qui Deo ipſo familiariſſimè uſi, judices populi & rectores, reges deniq; & principes magni & potentes hanc patriam hoc domicilium ac ſedem vivi; hîc monumenta ac ſepulcra mortui habuerunt. In eadem ita illuſtres jam ab initio res geſtæ, & miracula divina edita paſſim, vix ut pedem quis aliqua in parte ejus ponere poſſe videatur, quin occurrat memoria prælii, aut victoriæ aut miraculi aut rei deniq;, ſive eventus prorſus memorandi. Accedit quod hanc quaſi peculiarem ex omnibus orbis terræ regionibus ſibi delegerat Deus, ubi memoriam nominis ſui fundaret, ubi præſentiam claris indiciis minimeq; dubiis ſignis demonſtraret, ubi deniq; ipſe quaſi domicilium ſuum ac tabernaculum figeret. Hieroſolymis nempe, quæ urbs genti caput, quaſi aras ſuas & focum habebat, eam ornabat ac tuebatur, ei indulgebat, eam deniq; animo prorſus paterno, complectebatur: ita ut exciſam quoq; poſt LXX. annorum intervallum inſtauraret, & abductum cum rege ac principibus in triſtem ſervitutem populum, in patriam reduceret, ſtupente, ut equidem arbitror, terrarum orbe, mirante cœlo, ac faventes; frementibus autem & ringentibus furiis infernalibus. Etenim quæ graviter ante gentem Judaicam afflixerant nationes, quæ urbem ceperant, diripuerant, everterant, & templum longè celeberrimum Salomonis opus, regis ſapientiſſimi & opulentiſſimi, inflammaverant, aſportatis ejus ornamentis in Babylonem; eadem poſtea, non precibus mul-

multis expugnata, non objecto errore, ac fascinata mente, nedum vi ulla coacta, sponte sua, cupideq; captivum populum dimisere, largiterq; & viatico instruxere, & ad excitandum denuò cum urbe templum opibus suis enixè juvere. Prorsus unde pernicies invecta fuerat, salus orta est, quod quidem per illustre divinæ sapientiæ ac potentiæ opus, quis ita rudis, aut barbarus, ita impius sit, ut non agnoscat, non admiratione tantæ rei commoveatur! Nec memoro nunc sanctos alios & pios viros, Apostolos, Evangelistas, ecclesiæ permultos & eximios doctores, hinc profectos, hic natos, quosdam etiam pro veritate cœlestis veritatis gravibus suppliciis affectos. Joannem Baptistam ipsum, quo major è mulieribus natus homo non est, & ministerium ejus venerandum, plurimisq; salutare, prætereo. Unus generis humani servator CHRISTUS, nobis ut in omnibus, ita hac quoq; re abunde satis est. Qui in hac regione natus è sanctissima & semper virgine educatusq; est: hic baptisatus, hic divinam sapientiam primò omnium dissemìnavit, & ab omni ævo recondita mysteria nobis revelavit. Idem tot ac tam stupendis miraculis hanc terrarum partem nobilitavit, ut sine interiori mentis motu, & sancto quodam gaudio ea de re ne cogitari quidem possit. Idem hic mortuus est; & resurrexit, mortis, diaboli, & inferorum domitor: tandemq; glorioso triumpho hinc in cœlum ad patrem suum nostrumq; revectus est. Hæc, & talia monumenta, quorum vestigia in hac terrarum parte plurima, cupidè jam olim homines religiosi visebant, emensis longissimis viarum spaciis, superatis magno periculo montium jugis, & transmisso mari. Neq; id ex eo tempore facere desistunt, quorum in pectoribus religio acrior, eum sanctæ cupidinis ardorem excitavit. Quin magni olim & potentes principes, ductis terra mariq; exercitibus propè innumeris, terram sanctam hostibus prophanis, injustis, ut putabant, invasoribus ereptam, Christiano vindicare nomini, & imperio adjungere parabant. Indignum enim judicabant & prorsus non ferendum, loca tam sancta à barbaris, atq; à Christiana religione aversis hostibus teneri. Verùm utut hoc parùm feliciter cesserit, &

 forte

fortè Deo parùm probante susceptum sit, illud quidem omninò fatendū, nobis cognitionem veteris Palæstinæ ita necessariam esse, ut sine ea sacras literas prorsus non intelligamus, certè non eo fructu legamus, quo poteramus aliqua istorum locorum notitiâ instructi. Etenim quum ubiq; & in omnibus sacri codicis voluminibus, propeq; paginis singulis, mentio fiat regionum urbium, montium fluminum, maris, non nisi inanem sonum haurit, & falsam rei imaginem mente concipit, qui situm loci in tabula saltem non intuetur, & de rebus memorabilibus, quæ ad illustrandum eum pertinent non quodammodo instituitur. Demonstrarunt id jampridem viri doctissimi: quorum unum alterumq; testimonium huc statueram conferre. Verùm mutavi consilium, quid enim opus cujusquam in re tam evidenti testimonio? soli isti lucernam nemo sanus apponit, nec ego debeo rem tam liquidæ veritatis firmare ullius auctoritate, si qui enim ignorat, quibus regionibus cincta sit terra illa sancta, & quæ quam ejus partem attingat ubi mare mediterraneum eam alluat, ubi mortuum ubi Galilææ quod vocant, sive Genezareth, & Tiberiadis: unde ortus; qua & quo decurrat Jordanes fluvius, ubi & quo mari se mergat: quæ in parte hujus regionis fuerit Judæa, quæ Samaria, quæ Galilæa, quæ Ituræa, Trachonitis, regnum Basan, Galaaditis & Peræa: ubi montes Seir ubi Carmelus, ubi Libanus, Antilibanus, ubi montes Galaad Gelboa, Tabor alii: ubi tot ac tam illustres urbes, oppida, arces castella: Hebron, Bethleem, & ipsa omnium princeps urbiū Judiacarum Hierosolyma: ubi Jericho cum vicinis locis ubi Samaria, ipsa etiam sedes regia, ubi Naim & Nazareth. Cana item utraq; ubi urbes Phœniciæ Sidon, Sarepta, Tyrus, Ptolemais, Cæsarea Stratonis, Joppe & Palæstinæ, Accaron, Azotus, Ascalon, Gaza quarum hæ ad mare magnum; ad Galilææ vero Tiberias, Magdalum, Bethsaida, Capharnaum, Chorazaim, Julias sitæ fuerunt. nec longe à litore ejus distantes Gerasa atq; Gadara: tum quod mare mortuum ei regioni immissum, quæ antea incredibili fertilitate, & urbibus Sodomis, Gomorrha & vicinis superbierat, hæc inquam, & id genus loca, si quis non ali-

qua saltem ex parte didicitq,ui fieri potest, ut sacras literas, & ecclesia historiam satis intelligat? Profecto miserè hallucinari necesse est, & suspensũ esse in legendo qui audito aliquo istorum nominũ incertus est quò mentem referat, aut ubi locorum cogitationem suam sistat. Isti vero omnium infelicissimi putandi sunt, qui docere sive populũ in templis, sive juventutẽ in scholis posse volunt, (& debebant, quando eas partes sibi mandari passi sunt,) neq; tamen hanc regionẽ magis norunt, quam si quis de Scytarũ solitudine aut Æthiopum aut Indorũ, sive priscorũ sive nuper inventorum terris aliquẽ memorare audiat. Omitto, quod hi tales gravẽ sustinent culpam, qui ea docere alios parant, & pollicentur quæ ipsi ne quidem extremis labris, quod ajunt, degustarunt. At verò mirũ est quemquam expertem esse cupere tanti fructus, qui cognitioni huic proponitur; quum præsertim ea non modò sine labore, sed & voluptate singulari paretur. Equidem nescio, quid homini non absurdo, neq; male nato, neque perperam educato (talibus enim omnia pulcra & honesta sordere, & invisa esse scio, ut amaracus suũ generi) sed homini ingenuo, & pietatis succo aliquo ab ineunte ætate tincto, qui sacras literas sive jam norit, sive etiam nunc discat, quid, inquam, ejusmodi homini jucundius esse possit, non video, quàm domi, sine labore, sine periculo, sanctorũ patrum, regum, Prophetarũ, aliorumq; summorum virorum sedes, domiciliaq; corã quodammodo intueri, acta eorum recognoscere, videre fortunas, fata, res gestas, exitus è vita. Quin unius nostri Servatoris, ejusq; Apostolorum itinera relegere, quasiq; comitẽ illis se præbere, ita suave est, ut vel sola cogitatione tacita frui nos non mediocri voluptate deprehendamus, qui elegantis & solidæ eruditionis studio tenemur. Itaq; libens feci, ut hisce aliquot mensibus, temporis mei partẽ huic quoq; tam honesto pio utili, necessario, deniq; jucundo studio darẽ: præsertim quum eum laborẽ ad nominis divini gloriã, & eam doctrinam, quæ animarũ saluti æternæ tradita nobis ab ipso Deo est, illustrandam pertinere probè intelligerẽ. Etsi verò conatus hic meus, ut primus, ita rudis & imperfectus est absq; dubio, tamen

 utile

fore sacracrarum literarum cultoribus prorsus confido. Et fortè hoc meo exemplo excitatus aliquis, omnibus rebus ad hoc argumentum pertractandum explicandumq́; paratior, in eo elaborandũ sibi statuet diligentius, & Ecclesiæ Christi perfectius aliquid hoc in genere suppeditabit. Quod me quidem volente & optante fecerit, quicunq́; volet aut poterit. Equidem, quod potui nunc quidem, pro ingenii atq́; eruditionis tenuitate, etiam temporis inopiâ, dedi. Boni & æqui id agnoscent, neq; si quid in eo desiderant, injustè aut immodestè carpent. Siqui monere, aut docere meliora de his aliisve me volent, insigni beneficio & me, & alios sibi devincient. Statui enim, si vitam Deus & valetudinem, otiumq; debitum hujusmodi studiis largitus fuerit, & hæc ipsa, & alia mea paullatim expolire, augere, & olim perfectiora omnia lectori exhibere. Interim hisce mecum fruentur, quibus meliora non suppeditant.

Vobis Viri Reverendi Nob. AmplißConsultisSimi, Palæstinam hanc meam dedico, ut testatum ad plures faciam, quid vobis a me aliisq; deberi judicem. Non est obscurum, quo vos animo non dicam in me & meos collegas, clarisSimos viros, sed in universam hanc Academiam sitis. Eo nempe, quo par est in seminarium ecclesiæ & reip. vos esse: adeoq́; fontem illum, unde rigatur, si non prorsus hauritur, salus publica. Pergite eum nobis affectũ conservare, id si feceritis, non paucorum tantum commodis, sed publicæ utilitati rectè consuletis. Hæc quoq́; & hujusmodi studia, sine quibus ecclesiæ doctrina explicari, hominésq́; de Deo & oraculis divinis aut miraculis rectè erudiri non possunt, ut scitis, autoritate vestrâ perpetuò porrò commendate iis, qui aditum ad suggestus, & sancta illa templorum rostra parant: quos imparatos, & tùm harum rerum, tùm antiquitatis, præsertim ecclesiasticæ, & dicendi artis ac linguarum imperitos, ad tam arduum & non minus tremendũ, quam salutare munus adspirare, nefas sit grave. Quidquid enim aliarum disciplinarum (excipio unam Theologiam) aliquis attigerit, aut satis probè etiam didicerit, non tam adjuvari se iis sentiet

tiet in docendi illo munere si istis careat, quam iis, etiamsi ceteris destituatur. Verùm non debet eorum manca esse ac mutila scientia. Artes ac disciplinas philosophicas præsertim quæ oratori ecclesiastico necessaria, cum antiquitatis cognitione, linguarum scientia, & dicendi facultate jungent vobis quoq; auctoribus, qui munus ecclesiasticū ambiunt. Ita enim & gregem, olim fidei suæ committendum, rectiùs publicè privatimq; docebunt, & adversariorum tela facilius sustinebunt aut eludent, aut in ipsos retorquebunt, deniq; utiliora erunt vasa in domo Domini, quam ipse Christus servator contra hostiles machinationes quorumcunq; salvam & incolumem tueatur, adeoq; florere velit industriâ fidelium doctorum. Ita voveo, & vos quàm rectissimè valere, optimeq; agere. Ex Academia Julia a. d XXIIX. Junii, qui anno MDXXIIX natalis fuit optimo Principi, D. Julio Academiæ hujus conditori. Itaq; ne nunc quidem sine veneratione ejus memoriam, uti debemus, usurpamus.

Index Tabularum, quo singulæ sint referendæ.

Sequentia Sphalmata Typographica, & si quæ leviora prælum festinans commisit, benevolus Lector ita velim corrigat.

P. 108. l. 4 victo Sultano. *p. 150. l. 1.* dele re *l. 8.* placavit *p. 152 l antep.* Σεβαςὴν. *p 161. l ult.* que *p. 162 l. 9.* MCC LXXXIII. *p. 180. l. 9.* De capolis *l. 21.* Phœniciæ, urbes erant maritimæ illustriores. *p. 225. l. 8* dependerent *Ibid inter lin. 9. & 10. omissa sunt seq. § 7. Ab hac urbe* De hoc oppido & monte vide etiam Scholion Nathani Chythræi ad Psal. LXXIIX. *Ib. lin. 16.* Vide quæ.

In Marginalibus.

P. 8 § 44. Joseph: IIX. Antiq *3. p. 10. § 46.* Joseph: l. X. Antiq. *p. 11. § 51.* Deut. 11. Jos XIII & seq. *§ 53.* 11. Reg. XIX. 41 *p. 16. § 22* Dio lib. XXXVII. p. 18. §. 29. Antiq 41. *p. 20 § 42. omissum* Act. III. v. 2. & seq. *p. 40. ad lin. 1. omissum* Bezæ ibid *p. 46. § 26. adde* 11. Paral. XXXII. *p. 57. §. 6.* Luc. XIX. p. 58. § 13. I. Ant. p. *60* §. 24 Gen. XIX. 24. § 25. I. Antiq. 12. *p. 78. § 118.* Joseph. I. Antiq. c. 2. *p. 102. ex 29. ad 30 § referatur:* Act. VII. 19. *p. 104 § 38.* Jerem. 11. XLIII. XLIV & XLVI *p. 111. §. 69.* 11. Antiq. *p. 114. § 86.* 11. Cor. III p. 125. § 20. Joseph: XIII. 24. p. *p. 144. § 118.* pro I. vv. *lege* VII. *p. 148. § 15.* Gen. XLIIX. v. ult. *p. 117. ex § 61. ad 62. refer* Cap. VII § 7. *p. 158. § 71.* 1. Sam. XI. *p. 159. § 47* Gen. XII. & XV. *p. 168. § 81.* Matt. IV. 18. *p. 184. § 143* Joseph. IIX. 189. In c. XI. Zach. & in XIV. Oseæ. p. *203* ex § 64. ad 65. refer Num XXII. *Tandem numeros pag. à 25. ad 1 8 1 inclusive auge unitate In Ind. Person.* Aaron moritur 108. *In Ind. loc.* Campestria Crypta subterr. c II. 68. Damiata VI. 7. Mensa Melchisedech. Regio Gerasenorum &c. IX. 76. 77. *In Ind. III.* Emaus 65. 31. 59. col. 2. gr. min. gr. min.

IN PALÆSTINAM,

Sive Geographiæ Sacræ Introductionem,

Præfatio ad Lectorem.

COnſtat inter intelligentes, ſine Geographiæ cognitione, veteris præſertim, nullum pænè ſcriptorem cum fructu legi, atque intelligi ſatis poſſe. Quod non minus in ſacrarum literarum tractatione verum eſſe deprehendimus, quam cæterorum optimorum quorumque ſcriptorum. Omnibus enim lucem côpioſam infert hoc ſtudij genus. Itaque quum ſuperioribus menſibus, Europâ veteri breviter decurſâ, aliarum hiſtoriarum ac diſciplinarum cultoribus, pro temporis anguſtia, atq; inſtituti ratione, conſulere ſim conatus; & impedimentis nonnullis objectis, progredi in cœpto illo curſu aliquantiſper non queam; Palæſtinam, cum vicinis aliquot regionibus, peculiari hoc opuſculo, ſacræ Theologiæ, & aliis ſeriis veræ pietatis ſtudioſis explicare, honeſtiſſimorum aliquot juvenum rogatu, ſtatui. Ita enim me operæ ac ſtudij me partem etiam aliquam eccleſiæ uſibus conſecrare,& ad ſanctuarium Domini exſtruendum, ornandumve, ſi non aurum, argentum, lapides precioſos, purpuram; at pro mea tenuitate ligna, aut arietum pelles, aut ſi quid aliud, minus fortè

preciosum, at non minus necessarium, conferre conatum, adeoque prompto lubentique animo contulisse, lectori pio constabit. Qui si quid in hoc opusculo desiderabit, (fieri autem potest, ut multi multa desiderent) veniam tenuitati meæ dabit. Quod ab eo, ut confido, facile impetrabo, qui intelliget, quæ & quanta præsidia ad hoc opus requirantur: inprimis quanto tempore, quibus ego plerisque nunc quidem careo. Temporis certè parum mihi ad hanc rem conceditur. Primum igitur hunc conatum boni consulent æqui arbitri; eoq; excitati meliora in hoc genere elaborare studebunt, qui rebus omnibus ad rem tantam me multo sunt paratiores. Quod qui fecerint, non solum studia discentium, sed ecclesiam Christi non modicè juverint. Hactenus quidem pauciores, quam par erat, eam sibi provinciam sumserunt, quod equidem sciam, *Adrichomius* nempe est Delphus, & noster *Henr. Buntingius*, qui nostrâ memoriâ manum tam laudabili operi admoverunt. Præclarè uterq; & laudabiliter: etsi diverso quisque modo atq; ordine. In utroq; sanè sunt, quæ desideret attentus & industrius lector; quæ nunc non memoro, ne virorum bene de ecclesia vel hoc nomine meritorum obtrectare famæ velle videar: quum industriam eorum ac studium, operamq; optimè positam, occasionem nactus, publicè privatimq; commendare, uti par est, ingenuè soleam. Spero & mihi apud æquos arbitros veniam fore paratam, si heic non ubique recto steterim talo. De quo si quis me familiariter monuerit, rem mihi gratissimam fecerit: invenietq; non modò facilem, sed & gratum; adeoq; emendare, sicubi hallucinatus sim, paratissimum, Deus ille opt. max. recti omnis & laudabilis cônatus auctor, fons universæ salutaris scientiæ ac parens,

labo-

labores hos non sinat esse inanes: efficiat potius, ut multorum studiis, & ecclesiæ piorum usui non nulli sint. Quod si vel ex parte assecutum me intelligam, satis uberem mei hujus laboris fructum cepisse me judicabo, eidemq; maximas gratias agam, qui ad hanc mentem me impulerit. Eundem nunc iterum rogo, ut, quemadmodum voluntatem non reprehendendam, ut arbitror, & incipiendi animum dedit, ita facultatem concedat perficiendi. Porrò tribuam universum hoc argumentum in certa quædam & paucula *capita:* eàque quanta maximè consequi potero, *perspicuitate* explicabo, *brevitatis* promissæ nunquam non memor. Addam & singulis locis, quæ id desiderare videbuntur, aliorum, eorumque, quo ad licebit, optimorum *scriptorum verba*: aut certè eos indicabo, lectoremque ad *fontes* ipsos mittam, unde hi rivuli fluent. Sic enim temere me nihil de ulla re affirmare intelligetur. Postremò, quæ brevius hic à me perscribentur, uberius viva voce ennarrabo: simulque loca ipsa terræ sanctæ, montes dico, flumina, lacus, maria, urbes, arces, vicos, aliaque naturæ aut artis opera, in Tabulis elegantibus expressa, demonstrabo.

INDEX CAPITUM.

CAP.

CAPUT PRIMUM.

De Terra Sancta, sive Palæstinæ, positu, nominibus, & partitione,

REgio, quam Terram sanctam, itemque Palæstinam vocamus, Asiæ portio est. *Asia* verò ipsa, tertia pars ejus continentis, quam veteres quoque scriptores magna ex parte noverant.

2. Ea undique, ut & cæteræ terrarum partes, Oceano circumfunditur, instar magnæ cujusdam insulæ, Alluitur verò interiori parte mari Mediterraneo, quod per Gaditanum fretum (sive Herculeum id dicere malis) infunditur terris, separatque tres orbis veteribus cogniti partes, Europam, Asiam, Africam.

3. Has tres partes divina sapientia statuit, quibus cupiditates hominum, quæ prope infinitæ, coërcerentur, & tamquam limitibus suis includerentur: ne proclive nimium esset mortalibus, opum, aut gloriæ causâ, aut quacumque aliâ, inter se concurrere, pugnare, & tranquillitatem generis humani turbare, violareq; sanctissimum ipsorum inter se fœdus, ab ipso Deo, pacis auctore, sancitum.

4. Etsi, quæ humani ingenij pertinacia est, ne sic quidem satis reprimi audacia eorum potuit, vel potius perdendi pereundiq; furor. Jam pridem enim hæc quasi naturæ claustra perrupit improba cupido. Nec injuria olim etiam de ea questus est Venusinus poëta:

Horat. 1. Od. 3.

Nequicquam Deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras, si tamen impiae
Non tangenda rates transiliunt vada.

5. Oceanum dicit, opinor, quem per ostium, quod modò indicavi, terris infudit Deus. Nam hoc mare, quod Mediterraneum vocamus, jam olim, ante plurima secula, hominum temeritas, (an profunda possidendi, an gloriae sitis?) traiicere ausa est.

6. Oceanus quidem ipse non magis, ut equidem existimo, superatus iis est, quam ipse terras loco suo movere potuit, aut fluctibus suis insanis obruere. Deus enim terminos & illi statuit, & hanc, quasi fluctibus innatantem fundavit.

Psal. xxiv. Paraphr. Buchnan.

7. *Ille super pelagus solidum connexuit orbem,*
Stabilis ut undas inter instabiles foret:
Et toties rapidis pulsatus fluctibus, omnes
Compage firma sustineret impetus.

8. Altero verò ab hinc seculo demum novum sibi orbem investigare, adire, aperire, subindeq; repetere ausi sunt Europae nostrae incolae: quod veteres minati olim sunt, aut moliti, ut videtur, frustra: Iudaei, Phoenices, Poeni, Romani, etiam fortè Macedones.

9. E qua gente si hodieque superesset ambitiosus in primis ille Pellaeus juvenis, Philippi filius, & terrarum spacia, nostris hominibus toties calcata, maria navigata, penitusq; perlustrata, disceret, lacrimas profectò vix teneret. Valde eum certè rerum ab se gestarum poeniteret.

10. Sed revocemus cimbam, in hoc tam immensum pelagus cupidè nimis, ac paenè inconsideratè immissam, at-

atque ad nostrum hoc, & priscis notum mare ab Oceano revertamur: & quidem ea in parte non nihil commoremur,

—— qua Nilus aquâ se divite volvit,
Et septem geminis refluum mare submovet undis. Idem Psal. LXXIIX.

11. Ad *Palaestinam*, inquam, cursum dirigamus, eamq; breviter lustremus: quo facilius permulta, quæ in sacris libris, cæterisque ecclesiasticis scriptoribus exstant & intelligamus, & retineamus felicius. Id enim ita non difficillimè consequemur, ut notum est intelligentibus.

12. Hæc igitur Asiæ regio est, uti dictum; cincta undiq; Syria, Arabia, Ægypto, & maris Mediterranei ea parte, quæ Syriam Ægyptumq; alluit. Erant & minutiores aliquot provinciæ huic vicinæ, sive contiguæ: de quibus in progressu mentionem faciemus, nunc saltem nobiliores attigisse suffecerit.

13. Ac Syriæ quidem non vicina tantum Palæstina, Lib. XVI. sed ejus quædam pars à non nullis censetur. Eorum in numero Strabo est, qui Syriæ partes facit Commagenam, Seleucidem Syriæ, Cavam Syriam, & Iudæam in mediterraneis; ad mare autem Phœnicen.

14. Eodem teste, *nonnulli totam Syriam in Cœlesyros & Phœnicas partiuntur: hisq; dicunt quatuor nationes esse permixtas, Iudæos, Idumæos, Gazæos & Azotios. qui agriculturæ quidem, ut Syri & Cœlesyri: mercaturæ verò operam dabant, ut Phœnices,* Ibid.

15. Herodotus quoq; Palæstinam Syriam hanc vocat, Lib. 1. cap. 105. in eamq; Scythas ait olim penetrasse, Ægyptiis arma illaturos. quos tamen Psammetichus rex muneribus ac precibus placatos adduxerit; ut reciperent sese ad suos.

Idem

Lib. III. c. 5. Idem alibi quoq; Syros Palæstinos memorat in expeditione Cambysis adversus AEgyptios.

16, Atq; aliquanto post, ubi Xerxis, bellum Græciæ inferentis, copias refert, ac Phœnicum mentionem facit, addit: *Hi Phœnices, ut ipsi memorant, quondam mare rubrum accolebant. Illinc transgressi maritima Syriæ habitant. Is autem tractus Syriæ, & quicquid AEgypto tenus est, Palæstina vocatur.*

Lib. VII. cap. 89.

Lib. I. c. 11. 17. Pomponius Mela etiam in Syriæ partibus numerat Iudæam, & regiones plures illius nomine complectitur. *Syria, inquit, latè littora tenet: terrasq; etiam latius introrsus, aliis aliisq; nuncupata nominibus. Nam & Cœle dicitur, & Mesopotamia, & Damascene, & Adiabene, & Babylonia, & Iudæa, & Sophene. Hinc Palæstina est, qua tangit Arabas cum Phœnice: & ubi se Cilicia committit, Antiochia.*

Lib. XXXVII. 18. Dio quoque Cassius limites eos hujus regionis signat. Quum enim Cn. Pompeii, cognomento Magni, res gestas contra Hyrcanum & Aristobulum exposuisset, ita locum eum claudit. *Hæc eo tempore in Palæstina gesta sunt. Ita enim antiquitus universa ea gens vocabatur, quæ se à Phœnicia ad AEgyptum usq; juxta mare mediterraneum extendit.*

2. Sam. 8, & 10. 19. Iis igitur ea tempestate continebatur terminis. Quos David rex etiam extendit ad Euphratem usque, Syrosq; vectigales sibi fecit, & Damascum, Syriæ urbem primariam militibus præsidiariis tenuit.

Gen. XV. 18. Deuter. XXXIV. 20. Atque hæc tam luculenta regionis regniq; spacia Deus pridem Iudæorum genti pollicitus fuerat. Abrahamo enim primum ea promisit: ejusque semini postea idem confirmavit sæpius; etsi contractiores etiam limites non rarò indicantur;

21. Quum

21. Quum igitur Syri & Ægyptii Palæstinam à duabus partibus includerent, cum iisq; de regni terminis, uti fieri solet inter finitimos, armis sæpe contenderent, quid mirum, si viribus tam potentium hostium afflicta sæpe graviterque est natio Judæorum? *Lib. Regum. Paral. & alii.*

22. Neq; rarò eandem vexarunt Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi, Philistæi, aliiq; vicini, & potentes populi. Quos tamen subinde, præsidio DEI, auspiciis ductuq; regum, aut, quos ante reges habuit, Judicum præclarè ulta est: non modò excusso, quod impositum sibi ab iis fuerat, servitutis jugo, sed & in eorum ceruices reposito. *Lib. Judic. Sam. & Reg.*

23. In Syriam quoque, Galilææ finitimam, fama Servatoris nostri, & miraculorum penetravit, ut Evangelica historia testis est. Ac de terræ hujus situ hæc nunc sufficiant. *Matth. IV. v. 24.*

24. Nomina ei plura passim tribui non est ignotum. Nam & Terra Chanaan, & Palæstina, & Judæa, & Terra promissionis, & Sancta sæpe vocatur.

25. *Terra Chanaan* à possessore antiquissimo, de quo quidem constet, dicta est. Tenuit enim eam Chanaan, Noë nepos è filio Cham: eaq; ab illo nomen accepit. *Genes. X. & XXII. Joseph. I. Antiq. c. 7.*

26. Posteri quoque illius post ipsum multis seculis hanc terram possederunt. Erant autem filij ejus plures. Sic enim Moses scribit: *Chanaan genuit Sidonem, primogenitum suum, Hethæum, & Jebusæum, & Amorrhæum, & Gergesæum, & Hevæum, & Aracæum, Sinæum, & Aradium, Samaræum, & Hamathæum, & per hos disseminati sunt populi Chananæorum. Factiq; sunt termini Chanaan, venientibus à Sidone, Geraram usque ad Gazam: donec ingrediaris Sodomam & Gomorrham, & Adamam, & Seboim, usq; Lasa.* *Gen. X. v. 15.*

27. Terra igitur Chanaan, & illa tempestate, & multo post tempore dicta ea est: populi ejus Chananæi.

Gen. xii. xiii. & seq. aliquot cap.

28. In hanc terram migrare jussit Deus Abrahamum è Carris, (Haran) urbe Mesopotamiæ, quo ejusdem mandato concesserat ex Ur Chaldæorum. Promisit tum & deinceps ei, filioq; ejus Isaaco, & nepoti Iacobo, terram hanc ipsis, eorumq; posteritati datum iri.

Exod. Deut: Ios. & cateris sac. lit. libris.

29. Præstitit quoque semini eorum promissa, fide optima. Ducibus enim Mose & Iosua, in eam, populum suum, AEgyptiâ servitute liberatum, per Arabicum primò sinum, qui & Mare rubrum dictus, dein Iordanem fluvium, (quum utrumq; inaudito exemplo siccasset) introduxit, eamq; pænè universam tribubus Israelitarum distribuit. Quod si quid tum quoq; ei deerat, per Davidem & sequentes reges adjectum est. Atq; hanc ob caussam *Terra promissionis*, sive terra promissa appellatur. Das gelobte Land.

Psal. Lxxx. v.9. & seq. Gen. L. v. 24. & sæpe alibi.

30. Hujus regionis ubertas, & rerum omnium, vitæ usibus necessariarum, abundantia passim in sacris literis deprædicatur. Lacte & melle fluere plurimis locis scribitur in libris Mosis & Prophetarum. Unum saltem alterumque demus. *Dominus Deus tuus*, inquit Moses, *introducet te in terram bonam, terram rivorum, aquarumque & fontium: in cujus campis & montibus erumpunt fluviorum abyssi. Terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus & mala granata, & oliveta nascuntur: terram olei ac mellis, ubi absq; ulla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantiâ perfrueris: cujus lapides ferrum sunt, & de montibus ejus æris metalla fodiuntur.*

Deut. iix. v. 7. & seq.

31. Idem aliquanto post: *Oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna, quæ fecit: ut custodiatis universa mandata*

Deut, xiv. 7. & seq.

data illius, quæ ego hodie præcipio vobis, & possitis intraire, & possidere terram, ad quam ingredimini, multoq; in ea vivatis tempore: quam sub juramento pollicitus est Dominus patribus vestris, & semini eorum, lacte & melle manantem. Terra enim ad quam ingrediéris possidendam, non est sicut terra AEgypti, de qua existi, ubi jacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ: sed montosa est, & campestris, de cœlo expectans pluvias, quam Dominus Deus tuus semper invisit, & oculi illius in ea sunt, à principio anni, usque ad finem ejus. Hæc paucula de multis instituto nostro sufficiunt. Plura ejus generis adjicere hisce, cuivis facillimum est.

32. Dicitur eadem *Terra Sancta:* quod Deus ipse eam præsentiâ suâ sanctificaret, quum populo suo, & templo majestati nominis sui dedicato, sedem eam delegisset. *Zach. II, 12. 2, Mac. I. 7.*

33. Sancta etiam dicta videtur, quod sancti viri, Patriarchæ, Iudices, Reges, Prophetæ, Apostoli, doctrina eam & miraculis multis illustrarunt: adeóque plæriq; eorum omnem in ea vitam suam exegerunt: denique non pauci sanguine quoque suo eam imbuerunt.

34. Servator quidem noster, Sanctus ille Israelis, ipse in hac & conceptus, & natus, educatusq; est. Hic miracula edidit: hic sapientiam cœlestem primo omnium humano generi revelavit: hic mortem acerbissimam pro salute nostra æterna oppetiit: hic sepultus est: hîc superata morte & Sathana redivivum suis se reddidit, mandatisque salutaribus datis in cœlum adscendit. Ut terra hæc, tot miraculis clara, & vestigiis sanctorum hominum ubique conspicua, ipsiusque adeo Dei præsentiâ illustris, Sancta non injuriâ usurpetur. Nam & *terra Iehovæ, & delectationis* appellata, aliique id genus splendidis titulis ornata est. *Ose. IX. 3. Malach. III. 12.*

C 2 Nem-

Buch. Ps. Lxxiix v.54. & 55.

35. Nempe, ut nostræ memoriæ poeta eximius scripsit.
Hac sancti tenuere patres loca sancta, Deiq;
Parta manu: exclusit gentes prius unde profanas
Aut prostravit humi victas: & jugera mensus
Abramidis habitare dedit.

Lib. xxxvii.

36. Dicitur & terra Iudæ, sive *Iudæa*, cujus nominis causam ignorare se fatetur Dio Cassius. Quum enim Palæstinos gentem vocari dixisset, addit: *Habent autem aliud præterea adscititium nomen. Regio enim ipsa Iudæa, gens Iudæi appellantur. Id cognomentum unde originem ceperit, haud scio. Quin & alij homines, qui secundum eorum instituta vivunt, id gerunt, quamquam alienigenæ.*

Lib. xxxvi.

37. Iustinus, aut si ita credere malumus, Trogus Pompejus, quàm confidenter, tam perperam hac de re parùm ipsi in pleritque, ut res loquitur, comperta scribit. Ecce enim Damascum, Azelum, Adorem, Abraham, & Israel reges facit. *Sed Israhelem*, ait, *felix decem filiorum proventus majoribus suis clariorem fecit. Itaq; populum in decem regna divisum filiis tradidit, omnesq; ex nomine Iudæ qui post divisionem decesserat, Iudæos appellavit, coliq; ejus memoriam ab omnibus jussit, ejus portio omnibus accesserat.*

38. Nugæ hæ, quod nemo nostrum ignorat: nisi si quis fortè prorsus in historia sacra hospes sit. Et tales ferme sunt in rebus Iudaicis historici, ac cæteri scriptores profani, qui tamen in iis insectandis aut contemnendis valde sibi plerumq; placent.

Gen. xLix. v. 8. & seq.

39. Nobis satis liquet, Iudam inter filios Jacobi, sive Israëlis, illustrem virtute & auctoritate, principatu à patre, jam jam morituro, donatum. Ita enim senex ille venerandus, spiritu Dei plenus, de hoc vaticinatur; *Iuda te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorũ.*

Ado-

Adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda ad prædam, fili mi, adscendisti: requiescens accubuisti, ut leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum?

40. *Non auferetur SCEPTRUM de Iuda. & dux de femore ejus: donec veniat, qui MITTENDUS est: & ipse erit exspectatio Gentium. Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ô fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam & in sanguine uvæ pallium suum. Pulchriores sunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.*

41. Hujus porrò, id est, tribus ab eo dictæ operâ fortiusus est dominus post obitum Iosuæ, in subigenda terra Chanaan. Sic enim de eo loquuntur sacræ literæ. *Post mortem Iosuæ consuluerunt filij Israel Dominum, dicentes: Quis adscendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli? Dixitq; Dominus, Iudas adscendet. ecce tradidi terram in manus ejus.* *Iudic. I. v. I. & seq.*

42. Post & regni dignitas huic tribui contigit: quam moriturus ei pollicitus fuerat Israel. Itaque regio, Israel, Iudæa etiam frequenter appellata est. Tribum enim Iudæ præ cæteris sibi Deus elegerat, cui sceptrum cum fastigio regio traderet.

43. Hanc tribus hujus in principatu prærogativam, vates etiam regius pulchrè expressit. *Ps. Lxxxiix. v. 67*

Non tamen Eframum præstantem fortibus armis
Elegit, cui sceptra daret: non ille Manassæ
Pignora; sed Judam, sed celsæ tecta Sionis,
Templa sibi, & solido fundat asacraria saxo,
Cumq; polo & stellis mansura in secula sedem.

44. Et si verò post Salomonis obitum, decem tribus, offensæ superbo regis Roboami responso, ab eo desciverunt, regemque sibi & *regnum* peculiare constitue- *I. Reg. xii. II Paral: x. Ioseph. xiii, Antiq. 8.*

runt, quod *Israelis* dictum: tamen *Judæ regnum* integrum semper cum eo fuit, duabus tribubus, Judæ ac Benjamin subnixum.

II. *Reg.* XVII. *Josep.* IX. 14.

45. Quin sublato penitus regno Israelis, & rege Hosea cum populo in captivitatem abducto; ab Assyriis, eorumque rege Salmanassare, salvum tamen integrum que etiam tum aliquandiu fuit, præsidio Dei, regnum Judæ.

II. *Reg.* XXIV. *Joseph. l.* 10. *Antiq. pene toto.* II. *Paral.* XXXVI.

46. Ac tametsi ipsum quoq; eandem calamitatem aliquanto post subire cogeretur, (neq; enim minus, quam fratres ipsorum, Deum patrium offenderant idolorum cultu, aliisq; gravissimis peccatis) tamen circumacta LXX. annorum periodo, reliquiis gentis hujus redire in patriam, urbemque ac templum instaurare concessum est: quod ita fore, jam antè per Prophetas suos populo huic denunciarat Deus.

Jer. XXV. & XXIX.

47. Ita res Judaicæ, & regnum hujus populi iterum efflorescere, ac stabiliri denuò cœpere. Et quamquam in angustias subinde à vicinis, aut longinquis redacti sunt Judæi, tamen divino præsidio ecclesia & resp. Judaica salva quoquo modo ac defensa in id tempus fuit, quo mitteretur in terras, qui res lapsas restitueret, & amissam recuperaret morte sua & sanguine salutem.

48. Sed ista plenius ac disertius exponere est historici. Illud apparet ex iis, quæ attulimus, Judæam dictam propriè fuisse partem terræ sanctæ; quæ tribui uni cesserat; aut certè eam, quam reges Judæ possederunt. Appellari tamen sæpe tota regio eo nomine solita est.

49. Eâdem ratione *Palæstina*, sive Philistæa, aut terra Philistiim, pro tota hac regione usurpatur: quum eo nomine tantum maritima quædam ejus pars propriè signetur. Urbes ejus quinque numerantur, de quibus dein-

deinceps copiosius agemus.

50. Atque istæ sunt potissimæ atque usitatissimæ ejus appellationes. *Divisa* olim fuit & habitata septem populis Chanaan: Amorrhæis, Chananæis, Gergesæis, Hetthæis, Hevæis, Iebusæis, & Pherezæis.

51. Quibus pulsis, duodecim tribus Israelis eam armis occuparunt, jussu atq; ope divina. Iis partim trans Iordanem fluvium, partim cis eum, sedes assignatæ sunt. Trans Iordanem, Ruben, Gad & Manasse; cis Iordanem Iuda, Benjamin, Simeon, Effraim, Dan, Aser, Issaschar, Zabulon & Nepthalim.

Num. XXI. XXXIII. *Deut.* II. 7. *Iosu* I. & *seq.*

52. Post defectionem decem tribuum à domo Davidis, sive regno Iudæ duæ populi Israelitici partes, *duo* item *regna* hujus gentis fuerunt: id, quod modò dictum est, *Iudæ*; & *Israelis*. Quorum illud sedem habebat urbem Hierosolyma; hoc verò Samariam potissimum.

53. Quamquam etiam ante distractionem illam populi, appellationes Iudæ & Israelis receptas, & populum in has partes distributum video. Quum enim jussu Davidis regis, viri bello idonei numerati per omne regnum fuissent; *dedit Ioab numerum descriptionis populi regi, Et inventa sunt* de Israel *octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium: & de* Juda *quingenta millia pugnatorum.*

Lib. II. *Reg.* XXI. 41. *cum seq.* & XXIV. v. 1.

54. Vetustior igitur illa populi divisio in Judam & Israelem est, quàm tradi plerumque solet, uti ex isto loco satis liquet: è quo obiter summam etiam istius regni potentiam, & numerum bellatorum, multis vix satis credendum, discimus. Quamquam etiam ante Davidem, Saulis regis tempore ista populi divisio recepta videtur fuisse.

E lib. I. *Samuel. cap.* XI. v. 8.

55. Postremis temporibus *tres* celeberrimæ hujus *regionis*

gionis partes fuerunt, Judæa, Samaria, Galilæa: eæque omnes cis Jordanem, inter eum fluvium & mare Syriacum, ut & Palæstina, ac Phœnicia ad littus ejusdem maris. Trans Jordanem fuerunt Ituræa, Trachonitis, & Chalcidica: de quibus singulis deinceps accuratius agemus & plenius. Nunc tres illas partes ordine lustrabimus, cum finitimis regionibus. Tribuum enim ratio singularum, pro instituto nostro non satis expedita, neque commoda videtur discentibus futura.

Sigon. 1. de rep. Hebr. cap. 7.

CAPUT. II.

De Judæa, eiusq; urbibus, montibus, &c. cum primis de Hierosolymis, Judæa metropoli.

JUdæa dignitate reliquis terræ sanctæ partibus antecellebat, ut jam diximus. Ea claudebatur Samariâ ad septentriones: montibus Seir ad meridiem: ad occasum mari mediterraneo: ad ortum mari mortuo.

2. Trans id mare, sive Asphaltitis lacum, erat Moabitis regio, & ulterior Arabia petréa. Ad meridiem Edom, vel Idumæa, cum deserto, Pharan, & ulterior Ægypti pars. Ad occasum denique Philistæorum erat regio, cum quinque urbibus eorum.

3. De Urbibus hujus partis primariis ita scribit Sigonius. Judæa à tribu Judæ vocata, ferme his insignita urbibus fuit, Hierusalem, Bethel, Hierico, Arimathia, Emaus sive Nicopoli, Bethlehem, Hebron, Chariathiarim & Eleutheropoli. De his igitur prius, quæq; iis vicina occurrent loca illustriora, videamus.

1. de Rep. Hebr. c. 7.

4. HIERUSALEM, ubrs non in Iudæa tantùm, aut vicinis





viciniis regionibus, sed toto terrarum orbe celeberrima olim fuit. Neque in hunc diem, post tot tamque graves ejus casus, & excidia sæpius iterata, ullius urbis nomen temere illustrius: præsertim apud Christianos, id est, religionis veræ custodes. De Iudæorum enim reliquiis dicere nihil attinet. Sanè, quod de urbe Roma quidam olim non sine causa prædicabat, nos quoque de hac non falsò possumus:

--- hac tantum altas inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Virg. Ecl. 1.

5. Sacræ literæ ipsæ plurimis locis præstantiam ejus & majestatem, qua præ cæteris orbis urbibus hanc unam Deus ornavit, sibiq; peculiariter ex omnibus delegit, quam habitaret ipse, commemorare solent.

6. Unum de multis locum heic, eumq; disertissimi interpretis versibus expressum, referre non, opinor, ingratum erit lectori.

Abramidarum cæteras urbes supra
Dominus Sionis diligit
Portas, Sionis, imminet qua montium
Fundata sanctis collibus.
O prædicanda posteris sæclis Sion,
Beata mater urbium!
Tecúmne Babylon se audeat componere?
Tecúmne Memphis insolens?
Ventura Babylon sub jugum Dei, Deo
Flexura Memphis poplitem.
Præclara quamvis & Palæstina, & Tyros
Jactet virorum robora;
Nihil ad Sionem, fortibus fœtam viris,
Favore tutam numinis.

Buch. Ps. LXXXVII. Adde Ps. XLIIX. Ps. CXXII. CXXV. & alios.

D 7. Præ-

7. Præclarum, ut apparet, urbis sanctæ encomium: cujus & caussa justissima illis versiculis, sæpeq; alibi expressa. Ut igitur de urbe hac eo rectius existiment bonarum artium studiosi, aliquanto plenius de ea nunc agemus.

Gen. XIV. *Joseph.* I. *Antiq. cap.* 10. & 11. *Et* VII. *bel.* 18.

8. Antiquissimam esse constat. Etenim Abrahami ævo jam in ea regnum possedit Melchisedecus. *qui victorem Assyriorum Abrahamum in campo regio gratulabundus excepit, ejusq; milites hospitaliter habuit, nihil eis ad victum deesse passus. Ipsum exercitus ducem Abraham, adhibitum mensa, meritis laudibus extulit, & DEO, cujus favore victoria contigerat, debitos hymnos, ut sua pietate dignum erat, cecinit. Erat enim rex justus, & omnium consensu sacerdotio, summi Dei, ob justitiam, dignus habitus.* scribit Iosephus.

Joseph. ib & *lib.* VII. *c.* 3. *Gen.* XIV. 18.

9. Verùm eo tempore *Solyma* urbs dicta est, vel, ut sacræ literæ habent, *Salem.* Solymam etiam Homero notam fuisse, quidam olim, teste Iosepho, contenderunt.

Gen. XXII. *Ioseph.* I. *Antiq. c.* 14.

10. Quorum ut hoc incertum, de illa quidem urbe, ita illud non est dubium, Abrahamum in monte Moria, cui post secula aliquot templum inædificatum, filium Isaacum, jussu divino immolare voluisse. Urbis igitur partem ille mons nondum eo tempore sustinebat.

11. Urbs enim, quam Iebusæi ad Davidis usq; regnum possederunt, & de suo nomine appellarunt, monte Sione, arduo sane ac prærupto, continebatur, lociq; natura permunita erat: quæ res non modicos incolis spiritus dabat.

II. *Sam.* V. 7. & 9. *Ioseph.* VII. *cap.* 3.

12. Hanc tamen etiam, divino adjutus favore, cepit rex David, eamque de nomine suo, munitam porrò diligenter atque ornatam, appellavit. Nam, ut sacræ literæ testantur, *Cepit David arcem Sion. Hæc est Civitas David*

David. Et mox, *Habitavit autem David in arce Sion, & vocavit eam Civitatem David: & ædificavit per gyrum à Mello, & intrinsecus.*

13. Iosephus inferioris etiam civitatis aliquanto antè captæ mentionem facit. Ut verisimile sit, urbis partem, monti Sionis subjectam, eo etiam tempore fuisse, quæ dicta est Filia Sion, cujus non raró mentionem fieri in sacra historia notum satis est.

14. Quidquid ejus demum sit, id quidem non est dubium, à Salomone rege templum Deo magnificentissimum ædificatum in monte Moria: quum id opus pater ejus David animo jam designasset; verùm monitu Dei ipsius prohibitus, manum ipsi admovere non esset ausus.

I. *Reg.* VI. II. *Par.* III. II. *Sam.* VII. I. *Par.* XVII.

15. Hujus magnitudinem operis ac splendorem nemo satis æstimare, aut, quam par est, animo concipere formam poterit, qui ad ea, quæ nunc sunt, templa, mentem aut oculos retulerit. Diligenter ejus structuram, præter sacras literas, persecutus est Iosephus. quem qui diligenter legerit, aliquo modò speciem ac dignitatem illius domus in animum fortè admittet: etsi etiam sic, ni fallor, multo minora omnia erunt, quàm res ipsa tum fuit.

Joseph. IIX. *Antiq. cap.* 2. *& de bell. Jud.* VI. *c.* [illegible]

16. Incredibile dictu est, quantam opum vim, auri, argenti, gemmarum, æris, ferri, marmoris, lignorum cedrinorum, ad ædis hujus structuram collegerit pater Salomonis: rex victoriis plurimis inclytus, David: quantam item populi Principes, atq; administri regii, ad tam laudabile opus contulerint.

I. *Paralip.* XXIIX. *&* XXX. *Joseph.* VII. *Antiq. cap.* II. *&* 12.

17. Quin etiam alienigenæ quidam pium regis institutum juvabant, ut Hiramus rex Tyri. Et multa hominum millia assiduè opus faciebant.

I. *Reg.* V. II. *Par.* II. *&* III.

I. Reg. VI. *II. Par.* III. *Ioseph.* VIII. *Antiq.* 2.

18. Ita igitur excitatum est tandem, honori immortalis Dei, Templum illud augustissimum: quod & tum obstupuit orbis terrarum, & omnis mirata est posteritas: quodque venerabantur, etiam, qui è gente Judaica orti non erant, plurimi.

I. Reg. VIII. *II. Par.* VII. *I. Reg.* XIV. *Iosep.* VIII. *Ant.* 4. *II. Reg.* XXV. *Ier.* XXXIX. *Ioseph.* X. *Ant.* 11.

19. Hoc tamen idem tantæ plenum majestatis templum, quod Deus ipse præsens numine suo invisere, ac replere dignatus est, direptum nonnunquam hostili incursu, & penitus excisum tandem atq; inflammatum est jussu regis Babylonici, opesque templi & urbis, cum flore populi, ipsoq; rege, Babylonem asportatæ fuerunt.

Lib. Esdræ. & Nehem. Ioseph. XI. *Ant.* 1. & 4. *Esd.* III.

20. Instauratum quidem post LXX. annorum exilium est ab iis, qui permissu regum Persicorum in patriam reversi sunt. Verùm humilius id multo fuit, nec eum splendorem habuit, quem pristinum illud Salomonis. Itaque eorum nonnulli, qui olim & primum illud, ejusque magnificentiam viderant pueri, & hoc intuebantur jam grandes natu, lachrimas tenere non poterant.

Lib. Macc. Ioseph. XI. *Ant.* 8. & XII. 7. *cum seq. Tacit.* V. *Hist.*

21. Idem hoc templum Alexander ille Magnus invisit ac veneratus est. Prophanauit autem impiis suis sacrificiis Antiochus rex Asiæ. Repurgarunt, urbe recuperata, fortissimi heroes Assamonæi, sive Maccabæi, pro lege & populo suo acerrimè dimicantes.

Dio lib XXVII *Ioseph.* XIV. *Antiq.* 7. & 8. *Plutarch. Florus. Tacitus alii.*

22. Munitum ad modum & hoc fuit. Itaq; Cn. Pompeio, qui urbe capta, illud oppugnabat, multo labore ea res stetit. Ac he sic quidem magnopere videtur aliquid profecturus fuisse, ni diebus Sabbathi, quibus Judæi, patriis legibus obsecuti, nullam defensionem loci parabant, ægrè tandem munimentis perruptis locum expugnasset. Crassus quoq; templum hoc spoliavit: & Sosius cum Herode idem non minus atq; urbem expugnavit.

Ioseph. XIV. *c.* 22. & 28.

23. Po-

23. Postea tamen Herodes hic, qui & Magnus & Ascalonita dictus, templum hoc, ut populi gratiam sibi pararet, demolitus, multo splendidius è fundamento excitavit ad pristinam altitudinem; idque incredibili sumptu atque opere ornavit ac munivit, non ita multis annis ante natum mundi Servatorem.

Iosep. XV. Antiq. 14. ipse diserta oratione caussas operis hujus suscepti reddit.

24. Hujus templi quanta majestas fuerit, dici vix potest, aut mente concipi. De magnitudine ejus nihil nunc dico: nihil de ornatu aureo, argenteo, & alia è materia preciosissima. Porticus illas, quibus quatuor templi cincta erant latera, præsertim quæ Austrum versus spectabat, & in ea excitatum aliud quasi templum, mirari satis non possum.

25. Neque loci ipsius, id est montis Moriæ, cui templum impositum erat, munitionem. *Constabat* enim *structura*, teste Iosepho *ex lapidibus candidis firmissimis, magnitudine* XXV. *cubitorum in longum; octo in altum; latitudine verò cubitorum* XII.

Ioseph. ib. & VI. bel. Iud. cap. 6.

26. *Habebat verò templum Basilicæ similitudinem: hinc & inde humilius; media sui parte excelsum: à multis stadiis conspicuum, maximè ex adverso habitantibus, aut adventantibus.*

27. Ædificium hoc undique præruptis impositum erat rupibus excepta parte Orientali, ubi mons paullatim declivis aditum habebat commodiorem. Verticem ejus iam olim in usum templi complanaverat David rex, eundemque muro circumdederat Salomon, instinctu Dei, ut narrat Iosephus.

28. Radices quoque ejus alio muro cinxerat, cui versus austrum subiecta erat vallis profunda. *Hic murus constabat saxis grandibus, plumbo inter se revinctis, complectens interius spacium, & in profundum descendens, ut miranda esset magni-*

Idem Ioseph.

magnitudo, & altitudo structuræ, forma quadrangulari. Saxorum enim magnitudo à fronte erat conspicua; interiora ferro vincta, juncturas habebat contra omnium temporum injuriam firmissimas.

Ioseph. XV. *Antiq.* 41. & VI. *bel.* 6.

29. Inclusum autem erat *templum* ipsum, (quod in medio montis vertice situm, CXX. cubitorum altitudinem habebat) *triplici ambitu.* Quorum *extimum* alienigenis etiam ingredi fas erat, qui religionem Judaicam amplexi, aut certè ab ea alieni non erant, & adorare Deum Israelis cupiebant. Hunc ambitum Herodes, templi hujus conditor, primus ædificaverat.

30. Qui ab hoc *proximus* erat, & muro ab eo discretus, in eum è priori adscensus patebat per gradus aliquot, ut porrò ex eo in superiores. In hoc Judæi utriusque sexus, qui quidem mundi essent, distinctis sedibus adorabant, cultumq; Deo suum præstabant. Alienigenis huc adscendere non licitum, capite luebat, si quis id esset ausus.

Iohan. X. 23. *Actor* III. & *seq.* v. 11. & *cap.* V. v. 12.

31. A Salomone, ut & templi reliqua, conditum hoc erat atrium: in quo porticus fuit, quæ ab ipso nomen traxerat. In hoc atrio Servator noster frequentur docuit, & cum adversariis suis acriter sæpe disputavit. Apostoli quoque, post Christi adscensionem hic populum Judaicum viam salutis docebant magno successu.

32. *Tertium* ambitum, qui templo erat contiguus, Sacerdotes tenebant, iisque tantum huc penetrare licitum. In media prope ejus parte, ex adverso templi *Altare* erat, in quo suffitum facere solebant, quos ordo, aut sors designaret. Ad utrumque altaris hujus latus hinc *Candelabrum* erat aureum cum lucernis septem; inde *Mensa* item aurea cum panibus propositionis duodecim.

33. Ad hoc altare, quum Zacharias sacerdotio fungeretur,

retur, in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotii, sortitusq; esset munus suffimenti faciendi, postquam ingressus esset in templum Domini; vidit angelum Domini ad dexteram altaris, qui nunciavit ei nativitatem filij, quem suscepturus esset ex Elisabetha uxore sterili. *Luc.* I. v. 8. *& seq.*

34. De hoc altari videntur & illa Servatoris accipienda: quibus, accusatâ Judæorum in pios Ecclesiæ doctores sævitiâ, fore ait, ut graves hoc nomine pœnas luant. *Ut veniat*, inquit, *super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel justi, usq; ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.* *Matt.* XXIII. II. *Paral.* XXIV.

35. Templum ipsum, cellam habebat mira religione, ab omni non aditu saltem, sed & conspectu hominum remotam. *Sancta sanctorum* dicebant. Is locus intimum recessum universi hujus operis tenebat: in quod, excepto Pontifice summo, nulli mortalium aditus erat concessus: neq; illi ipsi, nisi semel annuo spacio; nec nisi, certis adhibitis sacris ac ceremoniis, expiato. *Exod.* XXVI. *Levit.* XVI. & XXIII. *Hebr.* IX. *Ioseph.* XVII. *Antiq.* 8.

36. In hoc adyto, sive sanctissimo loco parietibus marmoreis undique cincto, cedrinisque asseribus prætexto, & laminis aureis interiori parte obducto, Salomonis ac sequentium regum temporibus, *Arca* illa *fœderis* servabatur, certissimum pignus divinæ majestatis, non sine veneratione summa vel in mentem admittenda: unde responsa consulenti populo suo ipse verus & immortalis reddebat Deus. *De qua Exod.* XXV. *Num.* XVII. *Deut.* XXXI.

37. In hac arcula, jussu divino, asservabantur & *tabulæ* duæ lapideæ, quibus legem æternam suis digitis inscripserat Deus: & *Vasculum Mannæ*, cibi, quo inaudito exem-

xem.

Iisdem locis sacr. literarum.

xemplo populum suum ipsos XL. annos in deserto paverat: & *Aaronis virga*, in qua miraculo insigni sacerdotii principatum ipsi & posteris ejus confirmaverat. Arcam ipsam duo angelorum simulăcra inumbrabant alis suis, atq; obtegebant.

38. Hæc arcula post exulium Babylonicum in templo conspecta non fuit: itidem ut alia quædam ejus ornamenta. Etsi quidam à Tito etiam captam, & in triumpho Romæ portatam, cum aliis templi ornamentis, fuisse perhibent, quàm verè, ipsi viderint.

Adrichom. vide.

39. Neque tamen ornamentis suis carebat fanum hoc, ab Herode structum, ut diximus. Quin hac parte omnibus fortè, quæ unquam in terris fuerunt, templis, locisq; religiosis antecellebat. De quibus singulis agere non nostri res fuerit instituti.

Ioseph. xv. Antiq. 14. & vi. bel. Iud. 6.

40. Illud tantum indicandum, omnia fere marmore candidissimo ac politissimo, auro, argento, ære Corinthio, gemmis, purpura, cocco resplenduisse. Nam & postes, ac fores portarum, inductis aureis argenteisve laminis, prænitebant; in quibus tamen artificium sæpe materiæ nobilitatem superabat.

41. Operæ precium erat, tum ipsas portas, earumque incredibilem altitudinem ac latitudinem, tum valvas earum, tum aulæa stupenda arte elaborata, muros item, quibus & cinctum erat templum, & distinctum, intueri. Nemo certè sine stupore id facere poterat.

42. Quæ in primo ambitu, sive Atrio gentium, ab Herode, uti dictum est, cæteris adjecto, in orientem obversa erat, *Porta speciosa* dicta est. Ad quam decumbentem hominem à primo ortu claudum, verbo sanarunt Petrus & Joannes.

43. Hæc

43. Hæc porta altitudinem habebat cubitorum XXX. & tota ære Corinthio erat inducta, quod auro preciosius fuit. Porta quæ ex adverso huic in atrium Iudæorum ducebat, alta erat cubitos quinquaginta. Quæ in Atrium Sacerdotum, LXX. Ipsius verò templi porta cubitorum erat nonaginta. Et aulæa preciosissima, singulari artificio contexta, spacium portarum æquabant.

44. Quod in altissima hac ipsius templi porta suspensum erat aulæum, in duas partes (mirum dictu) scissum est, â summo ad imum, quum Servator noster in cruce exspiraret, & morte sua patrem nobis cœlestem placaret.

II. *Paral.* III. *Matth.* XXVII.

45. Erant autem portæ ejusmodi non paucæ, sed plurimæ, omni ferme in parte templi. Itaq; ducentorum hominum manibus opus erat, ad fores quotidie aperiendas & claudendas. Atq; eæ omnes, adeoq; omnes partes templi, majestati divinæ consecrati, ornatissimæ augustissimæq; fuerunt.

46. Etsi ornamenta, quæ vel prius illud à Salomone, vel postremum ab Herode rege ædificatum habuit, non temere quis omnia; certè brevi opusculo pro rei dignitate nemo complectetur.

Ioseph. VI. *Lib.* VIII. *Antiq. c.* 2. & XV. *ult.*

47. Templum hoc, ejus magnitudo, pulchritudo, forma, opes, ac munimenta, ne quidem profanis ignota scriptoribus fuere. Hinc Tacito; *Hierosolyma genti caput. Illic immensæ opulentiæ templum. & primis munimentis urbs, dein regia: templum intimis clausum. ad fores tantum Iudæo aditus: limine præter sacerdotes, arcebantur.* Idem paullo post, *Templum in modum arcis, propriiq; muri, labore & opere ante alios. Ipsæ porticus, quîs templum ambiebatur, egregium propugnaculum.*

Lib. V. *Hist.*

E 48. De

48 De religione verò Iudæorum, de ritibus ac ceremoniis, ut de origine ac nomine antè dictum, valde à vero sæpe iidem aberrarunt: etsi interdum & ad illos aliquis veritatis, tanquam solis, radius penetravit.

Ibid.

49. Itaq; idem scriptor, *AEgyptii*, inquit, *pleraq; animalia effigiesq; compositas venerantur, Iudæi mente solâ: unumq; numen intelligunt. Profanos, qui deûm imagines, mortalibus materiis, in species hominum effingant. Summum illud & æternum, neq; mutabile, neque interiturum.*

Lib. XXXVII.

50. Dio Cassius quoque, *Diversum*, inquit, *à reliquis hominibus obtinent, cùm aliis in rebus, usuq; vitæ quotidiano, tum eo præsertim, quod nullum ex ceteris diis colunt. Unum autem quendam summo studio venerantur. Tum quoq; temporis*(urbe à Pompeio capta) *nullum Hierosolymis simulacrum exstabat. Nimirum suum illum deum ineffabilem, & formæ expertem existimantes, religioso ejus cultu ceteros mortales superant. cui templum summæ molis, pulcherrimumq; extruxerunt: excepto, quod apertum, & nullo culmine tectum fuit.* quod de atriis templum cingentibus accipiendum, ut dictum ante fuit.

51. De cæteris gentis hujus moribus atque institutis, operæ precium est scire, quam turpiter errent, aut datâ operâ, quæ rectè se habent, calumnientur. Tale est, quod de sanctissimo templi loco, prophanorum nulli videndo, nugatur Florus. *Hierosolyma defendere tentavere Iudæi, verùm hæc quoq; & intravit, & vidit illud grande impiæ gentis arcanum, patens sub aureo uti cœlo.*

Lib. III. *Histor. cap.* 5.

Lib. III. *c.* 5.

52. Talia etiam ferme sunt, quæ Tacitus, satis in nugis istis loquax, garrit de origine Iudæorum, & itinere, duce Mose, de sacris, de jejuniis, de Sabbatho. de circumcisio-

cisione, quam plerique gentilium rident, & aliis eorum institutis: quæ Dei ipsius legibus, sapientissimi legislatoris, constituta scimus fuisse.

53. Tamen invisa ea reddiderunt, quod ab suis discrepare, sæpe ineptis & stolidis moribus viderent. Itaq; & M. Tullius Flaccum defendit, quod aurum ex Asia non passus sit Hierosolymam exportari. *Huic Barbaræ superstitioni resistere,* inquit, *severitatis; multitudinem Iudæorum, flagrantem nonnunquam, in concionibus, pro repub. contemnere, gravitatis summæ fuit.*

Oratione pro L. Flacco.

54. At Cn. Pompejus, captis Hierosolymis, victor ex illo fano nihil attigit. Inprimis hoc, ut multa alia, sapienter. In tam suspiciosa ac maledica civitate, locum sermoni obtrectatorum non reliquit. non enim credo religionem, & Iudæorum, & hostium, impedimento præstantissimo imperatori, sed pudorem fuisse.

55. Et paullo post. *Sua cuiq; civitati religio, Læli, est, nostra nobis. Stantibus Hierosolymis, pacatisq; Iudæis, tamen istorum religio sacrorum à splendore hujus inperii, gravitate nominis nostri, majorum institutis abhorrebat. nunc verò hoc magis, quòd illa gens, quid de imperio nostro sentiret, ostendit armis. quàm cara diis immortalibus esset, docuit, quod est victa quod elocata, quod servata.*

56. De stipe nimirum templo solvenda quotannis, lege divinitus lata, contumeliosè, uti & de gentis fortuna loquitur orator, veræ religionis ignarus. Itidem Tacitus: *Pessimus quisque, spretis religionibus patriis, stipes & tributa illuc congerebant, unde auctæ Iudæorum res.*

Ibid. v. Histor.

57. Nec mirum, quum hæc de perversa Iudæorum religione, & improbis moribus opinio apud tenebriones illos pervagata esset, invisam gentem, certè spretam, ob

Sueton. Augusto, c. 93.

utramq; caussam, fuisse. Nam & *Augustus Cæsar*, superstitioni suæ, & Græcanicæ deditus admodum, *Cajum nepotem, quod Judæam prætervehens, apud Hierosolymam non supplicasset, collaudavit.*

58. Talia igitur prophanarum gentium ferme erant de Iudæorum templo, sacris, religione atque institutis, judicia. Quod pluribus exemplis docere, ut non arduum; ita neque necesse est: præsertim in hac mihi proposita brevitate.

Cicero ipse non obscure indicat oratione pro Flacco & Horat. V. Sat. IV

59. Neque tamen etiam sic perficere potuére, ut non ex omnibus prope terris multi, immo infiniti homines locum illum venerarentur, quem Deus sedem nominis sui sacrosancti delegerat: ubi memoriam sui sacraverat: quem præsentiâ suâ diutissime illustrem reddidit, fovit, defendit.

60. Pii quidem & religiosi homines, omni ferme ævo, ex quo gloriam genti isti, urbi ac templo immensam conciliavit orbis rector, tot ac tam variis modis, pronis eam animis etiam absentes venerati sunt.

61. Talis nempe affectus piorum omnium absq; dubio erat, qualem præ se fert divinus vates, qui ista dictante cœlesti spiritu scripsit;

Psal. LXXXIV.

O rex armipotens, qui creperos tuo
Bellorum arbitrio dividis exitus,
Ergo limina templi
Lætus conspiciam tui,
Hic cor lætitiâ palpitat: hic bonis
Languet mens nimiis ebria, gestiunt
Artus, atria vivi
Visuri propius Dei. Et post aliquanto;
--- Juxta adytum tuum,
Unius mora lucis *Pro*

Pro mille est mihi seculis.
Sim custos potius liminis, in tuo
Templo, sancte parens, quàm Solymâ procul
Degam inter sceleratos
Multis clarus honoribus.

63. Talis, inquam, piorum plerorumque affectus olim fuit in hæc tam sancta loca, & templum illud, Deo uni, eique vero atque immortali sacrum, & habitatum: Christo ipsi, generis humani liberatori, & tot sanctis hominibus quondam visum, calcatum, illustratum: quod hodieq; nemo pius sine veneratione, ut equidem opinor, vel in animum admittit.

64. Sine admiratione quidem magnificentiam ejus, quæ olim fuit, cogitare potest nemo. Quam ipsi quoque Servatori nostro paucis ante mortem ejus diebus commonstrant obstupefacti splendore tanto & pulchritudine discipuli. Quum enim è templo egrederetur, quidam è discipulis ei dixit: *Magister, vide, quales lapides, & quales structuræ.* Cui ipse respondet: *Vides ista magna ædificia? non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.*

Matt. XXIV. *Marc.* XIII. *Luc.* XXI.

65. Quod quidem vaticinium, ut omnia cœlestis oris, eventus comprabavit. Tito enim Vespasiani filio expugnatum, cum universa urbe incendio periit pulcherrimum hoc & magnificentissimum opus.

66. Cujus pars esse videbatur *arx*, munitissima in parte ejus septentrionali. quam Maccabæi prius in præru pta altaque rupe munierant, & *Barim* appellaverant turrim. Postea Herodes mirificè exornatam, de nomine Antonii triumviri, *Antoniam* vocavit. Stola pontificia hîc custodita diu est. Romani milites ibidem excubabant, observantes ne quid turbarum in templo darent Judæi.

Joseph. XV. *Antiq.* 14. XIIX. 8. & I. *bell.* 3. 4. 16. VI. *bell.* 6. & *alibi.*

67. Antonia hæc, munimentum eximium, quatuor excelsis in cœlum turribus minabatur. *Arcus* lapideus pontem sustinens cum templo eam committebat. In hoc igitur obsessi pontem eum nonnumquam interruperunt, ne ex Antonia impetus in se fieret.

Ioseph. XIV. Antiq. 8. & XV. 14. & de bel. Iud. sæpius.

68. Erat & *crypta* quædam subterranea ex arce in templum ferens ducta, per quam occultè milites, nec opinantibus Iudæis, in templum evadere poterant. Hæc an sit Turris illa Stratonis, obscurus inter Antoniam templumque meatus, in quo Antigonus à fratris Aristobuli satellitibus cæsus est, quum frustra fatum declinare se posse speraret, adhuc ambigo.

Ioseph. XIII. Antiq. 19. & 1. bel. 3.

69. In adversa templi regione, id est, australi, Palatia erant sumptuosissima duo: quorum alterum sibi, alterum uxori, Pharaonis Ægypti regis filiæ exædificarat rex Salomon. Quorum priori vicinus erat ad occasum celeberrimum ipsius tribunal, sive Thronus: posteriori in ortum Domus saltus Libani. de quibus passim mentio in sacris literis, & Iosephi historia.

1. Reg. VII. 9. 10. II. Par. VIII. 9. Ioseph VIII. Antiq. 5. & XIIX. 5. 6. 7.

70. Atq; hæc loca maxime illustria fuerunt in monte Moria. Cui vicinus, in meridiem urbi prætensus fuit SION. In quo, præter arcem & sepulchrum Davidis, ac sequentium regum Iudæ, Annas & Caiphas, pontifices, ad quos ductus est Servator noster, à Iudæis noctu captus, domicilia sua habuisse scribuntur; haud scio, an satis verè.

71. In eodem monte Herodes rex magnifica duo excitavit palatia: quorum alteri Cæsaris, alteri Agrippæ, qui Iuliam Cæsaris Augusti filiam in matrimonio habebat, imposita nomina fuerunt.

Ioseph. XV. Antiq. 11. 1. bel. 6. & VI. 6.

72. Fuisse in hoc monte scribitur & Cœnaculum, in quo Christus postremum cum discipulis Pascha comedit,

pedes

pedes eorum lavit, falutarem cœnam inftituit, & monitis præceptifq; cœleftibus eos inftruxit: virtute etiam ex alto induit, & Spiritum fanctum, promiffum patris fui, iis mifit: nifi quis id tamen in civitate inferiori, ad portam Vallis, cum aliis collocare malit cœnaculum.

Matt. XXVI. *Marc.* XIV. *Luc.* XXII. *Joan.* XIII. I. *Cor.* XI.

73. Tabernaculum Sionis utiq; in monte Sion fuit, in quo Arca fœderis annos XLIV. ftetit, â Davide iftuc translata: donec Salomon templo nuper ab fe ædificato eam inferret.

II. *Sam.* VI. I. *Par.* XIV. *Iofeph.* VII. *Ant.* 4.

74. Præter hæc, in muro orientali montis hujus ponitur, & Turris Siloam: cujus ruina XIIX. homines oppreffi funt, tempore Chrifti. Subjectus ei erat fons, faluberrimis aquis fcaturiens, & pifcina Siloam. In pifcina ifta cœcus quidam juffu Chrifti oculos abluens vifum recepit.

Luc. XIII. *Iohan.* IX.

75. Atque is quoq; erat mons Sion, qui & Sanctus, & mons Domini, altitudine ceteros urbis montes vincens: unde & pons, & gradus quidam in Civitatem inferiorem pertinebant. Inter quam & Sionem, interjecta erat vallis profunda, Mello dicta quondam; poft Tyropæon.

Pf. II. & XV. *Ioel.* II. *Iofeph.* XV. *Antiq.* 14. VI. *bel.* 6. VII. 13. & 15.

76. Intra Sionem & Templum interjecta erant Salomonis, & Reginæ, filiæ Pharaonis palatia: de quibus jam antè diximus. Erant & domus Sacerdotum ad radices templi ex utraque parte, ab ortu in occafum ordine ftructæ. Atque hactenus fuit Moria.

77. Tertius *mons* ACRA inferiorem civitatem obtinebat, in occidentali urbis parte fitus. In hac multæ arces ac palatia erant illuftria, præter alia loca publica.

78. Erat enim templo in occidentali parte vicina arx Maccabeorum, quam poftea Agrippa rex tenuit, fplendideq; exornavit. Huic vicinum Theatrum fuit, & Gymnafium,

I. *Macc.* XIII *Iofeph.* XVII *Antiq.* 14. &

æquale prope intervallum servans, ab ortu in occasum pertinebat. *Primus*, qui & antiquus dictus, eam à reliqua urbe sejungebat: *alter* mediam hanc ipsam partem secabat, unde & medius dictus est: *tertius*, qui & exterior, ad septemtriones urbem claudebat. Ita triplicem munitionem perrumpendam, & triplicem murum Romanis expugnandum hîc fuisse intelligitur.

84. In hac urbis parte artifices, opifices, mercatores, operarios, & reliquum vulgus potissimum habitasse accepimus. Erat tamen in eadem parte, intra primum & secundum murum ad occidentale urbis latus *Herodis Palatium*, amplum, splendidum, & suis propriis munitionibus circumvallatum. *Joseph.* VI. *bel.* 6.

85. Huc quoq; Servatorem nostrum è Prætorio, jussu Pilati, raptavit impura militum manus: eodemque in palatium sequuta inimicorum violentissimorum turba, apud Herodem Antipam eum graviter accusavit. Rex ut conspecto eo lætatus est, ita spe sua frustratus, contemptum, & candida veste donatum, remisit ad Judææ procuratorem Pilatum. *Luc.* XXIII.

86. In hac regia Herodis, *Carcer* erat regis: in quo vinctum duabus catenis, & militari custodiâ septum Petrum Apostolum liberavit Angelus Domini: ne ab Herode ad supplicium raperetur, ut Jacobus paullo antè. Deduxit etiam eum per portam ferream, quæ per murum primum ducebat in urbem inferiorem. *Actor.* XII.

87. Erant in eodem muro duæ insignes, & non modò pulchritudine, sed & altitudine ac firmitate eximiæ turres *Phasaëlus* & *Mariamne*. Quarum illam fratris, hanc uxoris memoriæ & honori exstruxerat Herodes Magnus. *Joseph.* XIV. *Antiq.* 22. XV. 9. XVI. 5. VII. 14. & *sæpe libris de bel. Iud.*

F 88. Alia

Ioseph. VI. *bel.* 5. 6.7.

88. Alia item è medio muro eminebat, *Hippicus*, duplici vertice in cœlum ſurgens, quam & ipſam amico cuidam ſuo, cui id nominis fuerat, dedicavit idem Herodes.

II. *Paral.* XV. & XXVI. *Neem.* IIX. & XII. *Ioſeph.* IX *Antiq.* 10. & 11.

89. Multa alia, & in regia ejus, & ceteris in partibus Novæ hujus civitatis, erant inſignia loca. Quæ brevitatis ſtudio nunc prætermittimus. Unum illud ſaltem indicandum, *viam*, quæ per hanc partem urbis in ſeptentrionem ad mœnia, ſive exteriorem murum, ac porrò Samariam ducebat: *Latam plateam*, & impoſitam muro *portam Ephraim* eſſe appellatam: quòd in eam tribum hæc via ferret.

Joſeph. XIV. *Antiq.* 8. XV. 14. XX. 16. *Itemq;* I. *bel.* V. 6. VII. 6.

90. Nec illud ſilentio tranſmittendum, altiſſimâ omni prope ex parte, excepta orientali, & latiſſimâ valle circumdatum fuiſſe templum. Ea *vallis Cedron*, eſt dicta. Hæc tantæ fuiſſe profunditatis ſcribitur, ut de templi tecto, ſive turribus in extremo muro, in magnam altitudinem ſurgentibus, ad imum ejus deſpicientium oculi, non abſq; vertigine capitis, caligarent.

Euſeb. II. *Hiſt Eccleſ. cap.* 23. & *Hieronym. de Scriptor. Eccl.* & *Tom.* I. *Epiſt.* LIII. *Ioſeph.* XX. 8.

91. In valle iſta mercatores ac negotiatores ſcribuntur habitaſſe. In eandem de ſummo turrium faſtigio, præceps datus eſt, Iacobus apoſtolus & frater Domini, primus Hieroſolymorum epiſcopus, eo quòd divinitatis teſtimonium, audiente univerſa concione Iudæorum, Chriſto Servatori intrepido animo & conſtanti perhibuiſſet. Iuſſu Anani Pontificis interfectum, improbantibus omnibus bonis, Ioſephus etiam teſtatur.

Matth. IV. 5. *Luc.* IV. 9.

92. Has turres quidam ſignificari à Matthæo exiſtimant, in quarum unam ſublatum ſcribit Servatorem noſtrum eo tempore, quum is tentaretur ab impuro dæmone, poſtulante, ut inde ſe deorſum præcipitaret. Et ſanè propter immenſam altitudinem hoc videtur credibilius, quàm ut

ut de templi tecto aureo id accipiamus; quæ aliis magis placet interpretatio.

93. Atq; ut ob profunditatem vastam memorabilis est ista vallis, ita ob altitudinem turres quædam in mœnibus Hierosolymorum. quorum in numero excellebat præ ceteris *Psephina*: in occidentali urbis angulo, ubi in septentrionem flectunt mœnia.

Ioseph. vi. bel. Iud. 2. 5. 6.

94. Ea erat octangularis, arduæ & excelsæ rupi imposita, cubitorum LXX. In tantam surgere altitudinem credita est, ut cœlo sereno ex ejus vertice Arabia, & mare, & extrema Iudaici territorij conspicerentur.

95. E regione hujus turris, extra mœnia erat *mons Calvariæ*, sive Golgotha, suppliciis facinorosorum destinatus locus. In eo, pro peccatis universi generis humani, post multiplices contumelias, quas à suo populo perpessus fuerat, post verbera ac tormenta gravissima, in crucem sublatus; maledictum pro nobis factus est rex cœli, ac dominus universitatis hujus, Christus, patremque æternum, æternus ipse pontifex, divinâ hostiâ oblatâ, omnibus credentibus placavit, nosque in gratiam apud eum reposuit, culpâ nostrâ amissam.

Matt. xxvii. Marc. xv. Luc. xxiii. Ioan. xix. Galat. iii. Deut. xxi.

96. Vicinus ei *hortus*, sepulchrum habebat novum, in rupe excisum. cui permissu Pilati corpus Servatoris, de cruce, postea quam exspirasset, refixum est inclusum. Idem sepulchrum, saxo prægrandi obstructum antè atque obsignatum, stolidâ Pontificum solicitudine, militari insuper septum custodiâ, Dominum nostrum remorari tamen ne tantillum quidem potuit, quo minus tertia die, ut pollicitus fuerat, suis se restitueret redivivum.

Matt. xxviii. Marc. xvi. Luc. xxiv. Iohan. xx. & seq.

97. Vicina huic monti erat *Porta vetus*, sive judiciaria, per quam Servatur ad supplicium est ductus. De qua

Neem. iii. Hebr. xiii.

porta, totaq; *Via Judiciaria*, qua crucem ad hunc usq; montem à Palatio usq; Pontii Pilati, humeris suis portavit, operæ precium est, adire eos, qui de veteris urbis statu aliquid monumentorum reliquerunt, & tabulas eam referentes in conspectu ponere.

Ioseph. VI: *bel.6. & seq.* 98. Erat in hac parte, propior etiam Golgothæ *Porta Genath.* Verùm ea in vivarium sive hortum regis Herodis, undique muris turribusque conclusum, non per plateam publicam ducebat in urbem.

2.*Par.*XXIII. *Sophon.* I. *Neem.* III. 99. Una omninò præterea in hoc latere urbis occidentali *Porta* erat *Piscium* & negotiatorum, ad ipsum angulum montis Sion, & Turrim Davidis, in civitatem inferiorem ducens. Via hinc ferebat, alia quidem in Joppen atq; ad mare; alia verò Gazam & in Ægyptum, ac porrò in Æthiopiam. Bethlehemam item, Hebronem, & istas in partes hinc proficiscebantur.

Luc. XXIV. 100. Hac portâ discipuli duo in Emmaus prodeambulantes, die quo Servator noster è morte in vitam redierat, eum comitem & doctorem, præter spem suam accipiunt: etsi tum quoque aliquamdiu ignoratum. In vico enim Emmaus, LX. stadiis ab urbe distante ille demum manifesto signo iis se aperuit.

101. Via hæc, quæ Emmauntem, itemque reliquæ, Gazam ac Joppen ducentes, silice stratæ ab rege Salomone perhibentur: tum ut tanto commodioribus iis uterentur, qui iter faciebant: tùm ut hac quoq; ratione magnificentiam suam proderet posteritati.

102. Mœnia Hierosolymorum hac parte rupi excelsæ ac perpetuæ imposita erant, eaq; vallis profunda munitiora etiam reddebat. Pertinebat ea fossa à porta piscium,

quæ

quæ & Davidis vocabatur, usq; ad septentrionalem urbis partem, & portam Ephraim.

103. Trans vallem hanc *mons* erat *Gion*. Is spacium illud tenebat, quod inter portam piscium, & veterem interjectum. In hoc monte Salomon, patris Davidis jussu, unctus sacro oleo, & rex proclamatus est. In eodem sive radicibus ejus ponitur *silva fletus*. Quo in loco David hostes suos Philistæos fusos fugatosq; longè persecutus est. In sacris literis locus dicitur *Vallis Raphaim*, itemque *Baal-pharasim*.

I. Reg. I. Ioseph. VII. Antiq. 15. II. Sam. V. I. Par. XIV. Joseph. VII. Antiq. 4.

104. Neq; videtur prorsus negligendum, quod ad hunc montem David hostes cæcidit; & Salomon rex in eodem pronunciatus est: in vicino autem Golgotha sive Calvariæ, Servator noster, cujus typum illi sæpe referunt, quasi commisso cum hostibus suis nostrisque prælio, eos quoque prostravit; & Pilatus titulo cruci ejus imposito, tribus celeberrimis linguis regem eum Judæorum declaravit, quocunque tandem animo. Scripsit enim, & in publico editoque loco suffixit, frementibus & indignantibus Pontificibus. HIC EST JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM.

Matt. XXVII. vers. 37.

105. Porrò *in septentrionali urbis latere* eam primum à Pompeio, dein à Tito, pòst ab aliis etiam obsessam, tandemque expugnatam accepimus. Quin & Chaldæi hîc castra habuisse scribuntur. Alexandro etiam Macedoni, copias hostili animo ad urbem ducenti, Jaddus Pontifex cum sacerdotibus & populo creditur hac in parte urbis occurrisse, eumque & sibi & populo facilè placasse, non sine divino numine.

Ioseph. lib. II. & VII. bel. multis capitibus. II. Reg. XXV. Ioseph. XI. Antiq. 8. & II. bel. 24.

106. Erant in hac parte & *monumenta* splendida, *Helenæ* unum, Adiabenorum reginæ, alterum *Herodis* Agrippæ, quem

Actor. XII. Ioseph. XIX. 8. & VI. bel. 4. 13.

quem ſibi nimium placentem angelus Domini percuſſit, ut à vermibus corroderetur.

Ioſeph. XIX. 7. *Idem* II. *bel.* 10. & VI. 6.

107. *Murus*, qui ſeptemtrionale urbis latus claudebat, validiſſimus quoque erat, ab Agrippa rege tanto ſtudio publicis impendiis conſtructus, ut templo nihil concedere videretur, ſive pulchritudinem, ſive firmitudinem reſpiceres.

108. *Turribus* XC. diſtinctus fuiſſe traditur. Quas inter numeratur etiam Turris Furnorum: in qua perpetuus ignis iter noctu facientibus prælucebat, ne de via facilè deflecterent.

109. Portæ ab hac parte omnino erant tres, eæque hoc ordine. Ab occaſu in ortum pergenti prima occurrebat, *Porta Turrium Muliebrium:* è cujus regione caſtra habuerunt Romani. Dein *Porta Ephraim*, ubi monumentum Helenæ fuit. Hac iter faciebant in Samariam.

110. Tandem in ipſo lateris hujus angulo, ubi mœnia in ortum flectunt, *Porta Anguli & Benjamin:* in eaque *turris* in magnam altitudinem ſublata, quæ & ipſa angularis dicta eſt. Ad quam Herodis Agrippæ monumentum. Per hanc via in Bethel pertinebat: & alia in deſertum. Medius in earum divortio erat *mons ſcandali*, in eoq; *fanum Chamos.* Quod fanum Salomon, in gratiam uxorum, idolo Moabitarum ædificavit.

I. *Reg.* XI. II. *Reg.* XXIII.

111. Atque iſtud erat latus urbis ſeptentrionale. *Orientale*, habebat, in angulo ſeptentrionali *turrim Ananeel*, cujus in libris Prophetarum fit mentio. In eodem muro, ad meridiem progredienti obviam erat *Porta Stercorum:* ita dicta, quòd urbis ſordes, aquis pluvis deterſas, in torrentem Cedron rivus quidam, è piſcina veteri, quæ in foro

Jerem. XXXI. *Zach.* IV. *Neem.* II. III. & XII.

foro rerum venalium erat, ortus, per hanc portam eveheret.

112. Ulterius in meridiem pergenti occurrebat *Porta* vallis sive gregis, *Vallis* dicta est, quod in Vallem Josaphat duceret. *Gregis*, quod immolandæ in templo pecudes, per hanc in forum pecuarium, huic portæ vicinum, agerentur. II. *Par.* XXVI. *Neem.* II. III. XII.

113. Hæ duæ portæ, Sterquilinij & Vallis, è Civitate inferiori ducebant ad torrentem Cedron. Portæ vallis imposita erat *turris excelsa:* quæ CL. cubitis attollebatur, ut tamquam è specula quadam inde trans Olearum montem prospectus esset. II. *Par.* XXVI *Joseph.* IX. *Antiq.* II.

114. Tertia *porta* in hoc latere *Aurea* dicta est, quod auro inducto renideret. Hæc è regione templi sita, ad montem Olearum compendio ducebat. Per eam cum discipulis, & populi acclamantis cœtu, vectus pullo asinino, ingressus est in urbem ac templum solemni, & hactenus inusitata sibi pompa, Servator mundi, paucis antè mortem suam diebus. *Ezech.* XLIII. & XLIV. *Matth.* XXI.

115. Quarta *porta Fontis* sive aquarum, ita dicta est, quòd ad piscinam & fontem Siloam ferret: *equorum* item vocata, quòd per hanc aquatum ducerentur equi. Hæc montem Sionis inter & *Moriam* posita, vallem Mello, sive Tyropæon recta fronte spectabat. *Neem.* II, & *seq.* II. *Paral.* XXIII.

116. Hæc porta ad montem Olearum, per pontem, quo Cedron stratus erat, duxit commodissimè: perquam & Servator noster, à Judæis captus in horto, noctu in urbem vinctus creditur reductus.

117. Erat autem hoc quoque urbis latus, & mœnia arduo ac prærupto in loco: è regione montis Olearum, quem inter & urbem interjecta fuit *Vallis Josaphat*, lata admodum I. *Reg.* XV. II. *Reg.* XXXIII. *Joseph.* VI. *bel.* 6.

modum ac profunda: locus sepulturæ vulgarium hominum destinatus.

Hieron. de loc. Hebr.

118. Eam vallem *torrens Cedron* interluebat, qui amœnus ipse aquis & ripis, viridantes hinc inde arbores frequentes spectans, in mare mortuum se tandem evolvebat.

Act. VII. 58. & VIII. 1. & XXII, 20.

119. Intra hunc torrentem, & mœnia Hierosolymorum, adeoque inter Vallis portam & Sterquilinii, *sanctus Stephanus*, quòd Constanti animo ac voce Christum, mundi redemtorem jam natum, opus illud stupendum peregisse contenderet, & obstinatum Judæorum in eum odium liberè accusaret, lapidibus ab insana multitudine est obrutus: Saulo tum vestes eorum servante, qui primum illum Christi testem lapidabant: quorum culpam sanctissimus martyr suis precibus etiam tum minuere, Christi exemplo, non dubitavit.

II. *Sam.* XV. *Ioseph.* VII. 8. *Iohan.* XVIII.

120. Torrentem Cedron olim mœstus, capite velato, & nudis pedibus transierat David rex, Absolomi filii impia arma fugiens. Eundem Servator noster transiit cum discipulis mœstus itidem, ea nocte, qua Judæis proditus, & diris modis ab infesta Judæorum & gentilium turba acceptus est.

Matt. XXVI. *Marc.* XIV. *Luc.* XXII.

121. Deflexit tum in *hortum* cum suis, qui ad latus montis Olearum, prope villam Gethsemane: quo sæpe convenire cum discipulis ante solitus erat. In eo horto ardentissimis precibus patri cœlesti supplicavit, & sanguinis guttas præ angore animi exsudavit. Tandem proditoris Judæ, apostoli unius operâ impiâ traditus hostibus suis est volens, & vinctus in urbem actus.

Luc. XXI. 37.

122. In hoc monte, qui stadiis quinque ab urbe distabat, Servator noster ante mortem suam aliquoties etiam

per-

pernoctavit. Ex eo descendens cum magna hominum manu, urbis excidium non sine lacrimis prædixit. Erat enim ea mons altitudine, ut commodè urbs pæne universa inde conspiceretur. *Luc.* XIX. 41.

123. Postremò, quum post resurrectionem suam gloriosam, & XL. dierum consuetudinem familiarissimam, & præcepta salutaria data, in hunc montem suos eduxisset, ex eo ad cœlestem patrem suum reversus est, inspectantibus discipulis, & veneratione debita Dominum prosequentibus. *Act.* I.

124. In parte quadam montis hujus *fanum Astharoth*, idolo Sidoniorum sacraverat Salomon; ut in monte offensionis vicino, *Melchom* Ammonitarum. Prope hunc montem & fanum, *Molech* erat idolum, cui horrenda impietate liberos suos immolabant Judæi in valle Gehennon, sive Tophet. In qua & Absolomi columna stetit: & locus fuit, in quo Isaias serrâ in duas partes fertur dissectus. I. *Reg.* XI. II. *Reg.* XVI. & XXI. II. *Par.* XXIIX. & XXXIII. II. *Sam.* XIIX.

125. Per hanc vallem etiam decurrebat *Cedron*, ab eoque in occasum iam flectenti latus patebat Hierosolymorum meridionale. In quo ager ille fuisse scribitur, quem XXX. argenteis, (quibus proditor Judas inductus Pontificibus operam suam improbam addixerat) post interitum ejus, in sepulturam peregrinorum emerunt Judæi. *Matt.* XXVII. *Act.* I.

126 Ac præter *castra Assyriorum*, quos Sennacherib ad oppugnandam urbem adduxit, quosque Angelus Domini nocte unâ, magna ex parte trucidavit, in hoc urbis latere, multæ ponuntur montium cavernæ, in quibus sancti olim homines, metu sævientium Judæorum aliquamdiu delituisse perhibentur. II. *Reg.* XIIX. & XIX.

127. Sed ut ad orientalem urbis partem, & montem Olearum revertamur, prope eum fuit *Hortus regius*, qui & hor- II. *Reg.* XVII. & *multis aliis*

locis horum fit mentio.

& hortus conclusus dictus est, in eoque fons Rogel, & lapis Zoeleth. Erat is hortus inter montem Olearum & offensionis interjectus. Torrens Cedron eum à Siloam fonte & piscina separabat.

128. Atq; ista erat urbs sancta, quam peculiariter sibi & nomini suo sedem delegerat ex omnibus terrarum urbibus ipse Deus. Cujus passim multa exstant in sacris literis & luculenta encomia; ut dictum est antea.

Lib Reg. & Paral.

129. Varias ea mutationes fortunæ experta est in hunc diem. Ut enim nihil nunc de primis ejus temporibus dicam, quò Melchisedecus ei imperitavit, aut Jebusæi, postquàm in potestatem Davidis venisset, ab eo & sequentibus regibus mirificè exculta, & magnificis operibus exornata est, opibus item maximis locupletata.

1. Reg. XIV. Ioseph. IIX. 4. II. Reg. & II. Paral. Ioseph. X.

130. Verum has minuit, non multo post Salomonis obitum, Ægypti rex Sesacus: & Assyriorum reges deinceps exhauserunt. Tandem urbem cum templo evertit funditus Nabuchodonosor, rex Babylonis.

II. Lib. Esd. & Neem. Ioseph. XI. Antq. 1. & 4.

131. Excitarunt eandem ægrè Zorobabel & Josua, qui permissu Cyri in patriam post LXX. annorum exsulium reverterant. Pòst Neemias etiam muros refecit, turribusq; ac portis urbem munivit.

Lib. Macc. Joseph. XII. 7. cum seq. & Lib. XIII.

132. Quumq; furere ac sævire in Judæorum gentem cœpisset Antiochus, cognomento illustris, & urbem non minus quàm populum affligeret, Maccabæi eam victores subinde instaurarunt. Ac posteri horum ad Herodem usque, non modò sartam tectam conservarunt, sed ornatiorem etiam posteris tradere eam sunt conati.

Joseph. XIV. Antiq. cap. priorib. XIV. Antq. cap. 12.

133. Pompejus postea, victricia Rom. arma per orientem circumferens, dissidiis fratrum, Aristobuli & Hyrcani invitatus, urbem ac Templum cepit, non tamen

men diripuit, aut spoliavit, ut aliquanto pòst M. Crassus expeditione Parthica.

134. Herodes denique, rex à Romanis appellatus, quum eam vi, adjuvante Sosio, expugnasset, & non una re populum Judaicum ab se alienasset, tamen urbi egregiè consuluit, cùm aliis operibus magnificis, tum verò templo novo è fundamentis exstructo, uti dictum.

Joseph. lib. XIV. *&* XV. *Antiq.*

135. Periit autem omnis illa magnificentia, ab Herode, aut ejus familia post ipsum, in urbem hanc collata, armis Romanorum & flammis, quibus duce Tito Hierosolyma conciderunt, gens exhausta, & tantum non excisa est.

lib. de bel. jud Tacit. V. *Hist. Sueton. Vesp. & Tito atq; alij Rom. Historici.*

136. Servavit ille tum, ut erat miti ingenio, turres aliquot, ab Herode incredibili sumtu ædificatas, Hippicum, Phasaelum, Mariamnen: monumentum virtutis pariter & clementiæ Romanæ futuras posteris: receptaculum item & castrum militibus Rom. præsidiariis.

Joseph. VII. *bel.* 16. *&* 18.

137. Sed & has turres, & quicquid muri clementiâ Titi reliquum erat, non ita multo post evertit ac prostravit Ælius Adrianus Imp. Qui funditus omnia eruit, fregit, comminuit, nequis frustra Servatorem credat fuisse, quum florenti etiam tum urbi tristia fata caneret.

Euseb. Chron. & 4. *Hist. eccl*

138. Nempe urgebant tum demum eam illa divini oris verba: *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo: & coronâ invadent te, & undiq; urgebunt te, ac solo æquabunt te, & filios tuos in te, neq; relinquent in te lapidem super lapidem: eo quod non noveris tempus illud visitationis tuæ.* Hæc, inquam, oracula tum gentem hanc, urbem ac templum urgebant, ac pessum dabant.

Luc. XIX. 43. *& Mat* XXIII 37. *cum seq.*

139. Exstruxit tamen Ælius Adrianus aliud tum eo in loco oppidum, angustius multo, quam prior urbs fuerat,

Euseb. IV. *Hist. Eccl. c.* 6

rat, & magnificentiâ cum illa non conferendum. Ei nomen de suo nomine imposuit, Æliamque Capitolinam appellavit. quam adeò ab Judæis habitari nuluit, ut nec pedem in ea ponere, adeoque nec adspicere eam, vel è longinquo fas homini Judaici sanguinis fuerit. Itaque & portæ Bethleemam ducenti sculptam è marmore suem, abominandum Judæis spectaculum, imposuit.

Euseb. loco jam citato.

140. Christianis tamen oppidum illud habitare concessum, qui & episcopos ibi, & ecclesiam illustrem habuerunt, ut historia docet. Addidit postea locis nonpaucis magnam dignitatem Helenæ Britannicæ pietas. Quæ religiosa fœmina, Constantini Magni imp. mater, in montibus Calvariæ, & Olearum, ingenti sumtu splendida Christo Servatori templa struxit: ut ipse imperator in loco Dominicæ resurrectionis.

Euseb. de vita Constantini. lib III. *cap.* 24 *& sequentib.*

Ruffin. lib. I. *cap.* 7. *&* 8. *Ammian. lib.* XXIII. *Ruffin. Eccl. hist. lib.* I. *cap* 37. *cum seq. duobus. Socrat.* III. 17. *Theodoret* III. *cap.* 20. *Sozom.* V. 12.

141. Julianus quidem ille transfuga Christianorum, indeq; infestus eorum atq; implacabilis hostis, irrita facere vaticinia Christi, quem oderat, magno opere conatus est frustra. *Judæis* enim novas templi substructiones illius permissu, ingenti studio molientibus, invicta Dei manus palàm repugnavit: ut pertinacissimus gentis conatus, religionis opinione incensus, consiliis divinis tandem vel invitus cederet, ac Judæi frustra se niti, reluctante numine cœlesti, agnoscerent; consiliumq; ædificandi abjicerent.

142. Tenuerunt igitur urbem illam Æliam Capitolinam, cùm alii non Judaici sanguinis, populi, tùm *Christiani*, ab Hadriani ævo: eaque paullatim nomen pristinum recuperavit, dictaq; Hierosolyma est: à Constantino, ejusq; matre, uti diximus, multis ornamentis decorata.

143. Irrup-

143. Irruptionibus tamen obnoxia fuit barbararum gentium. Nam & *Chosroes* Persa, anno Christi DCXV. urbe captâ ac direptâ, editaque ingenti strage, Patriarcham Zachariam cum ligno crucis, ut fertur in Persidem secum asportavit. quod tamen, post illius interitum, remissum ad Heraclium imp. est cum Patriarcha à filio Chosrois, qui patrem sustulerat.

Cedren. & Paul. Diac.

144. Neque ita multo pôst *Saraceni* ex AEgypto progressi, urbem Hierosolymam, & regionem universam occuparunt, tenueruntq; annis amplius quadringentis sexaginta.

145. Excusserunt eos quidem postea, aut oppresserunt *Christiani*, suscepta ex Europa nostra in Palæstinam ingenti expeditione, duce *Godfrido Bullionæo*. Ac urbe multo labore captâ, & infinita barbarorum editâ cæde, idem Godfridus, primus Hierosolymorum rex renunciatus est, circa annum Christi millesimum centesimum.

Guil. Tyr. lib. IIX. & IX. bel. sacr. Flav. Blon.

146. Verùm etiam id regnum minimè fuit diuturnum. neq; enim centesimum annum explere potuit: exstinctum penitus armis & virtute *Saladini*, AEgyptii Sultani. quem ipsum discordia Christianorum & invitarat, & non mediocriter adjuverat.

Abbas Ursperg. Mejer Platina.

147. *Saraceni* igitur non urbem modò, sed & regionem prope universam illo tempore, ejectis Christianorum præsidiis, recuperarunt: & possederunt, diutissime. Et enim proavorum nostrorum memoriâ demum, anno Christi MDXVII. *Selimus* Turcarum tyrannus, victo Ægypti Sultano, hanc quoque terram armis subegit.

148. Itaque in hunc diem impura ac nefaria gens, loca sanctissimis olim hominibus habitata, atq; infinitis mira-

raculis illustrata, Deoque ipsi peculiariter dilecta, & Servatori nostro ac totius mundi visitata, perambulata, & mirificè amata, possidet, & permissu judicioque Dei justissimo, impiis suis ritibus, superstitione horrenda, (ne quid de sceleribus aliis dicam) prophanat.

Matt. XXIII. 149. Hoc nempe illud est Christi Servatoris: *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos, sub alas suas! & noluisti.* ECCE RELINQUETUR VOBIS DOMUS VESTRA DESERTA.

Iohan. I. 150. Hunc enim dominum suum, quum ad suos, & in sua venisset, non receperunt. Quin apertè regnum hujus salutare repudiarunt, quum Cæsarem solum regem agnoscerent, à quo funditus deleti sunt postea, aut certe per orbem terrarum dispersi. *Ioh.* XIX. *v.* 15.

Matth. XXII. *Iohan.* III. *Matt.* XXVII. 151. At verò qui infinitis beneficiis eos affecerat, quem vel inviti, divinitus missum doctorem, & regem Israelis esse agnoverant, in crucem rapiendum importunis vocibus flagitarunt; nec antè destiterunt, quàm injustam Pilato sententiam extorsissent.

152. Horrenda vox est; quam furiosa tum mente miserunt. Illo enim homine prophano, & satis injusto, sententiam pronunciante invito, & innocentis sanguinis vindictam exhorrescente, isti vociferari non dubitant, *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.* *Matt.* XXVII.

153. Hanc tam diram & sanguinariam vocem, animi truculenti ac sævi indicem, hodieque gens improba luit, gravibus pœnis eo ex tempore excercita. Amissa enim urbe ac templo, extorris patriâ incertis sedibus per orbem

terra-

terrarum oberrat, ubique exsul, omnibus ferme hominibus ut infida atque infesta, ita invisa atque exosa: neque injuria.

154. Omnium tamen gravissima illa pœna est, quod spreto, ac trucidato per summum scelus mundi redemtore, (quam tamen rem in salutem nostram vertit sapientissimus idem & benignissimus pater) ipsi maximam partem contrà spreti rejectique à salutis auctore sunt. quem furore atq; amentiâ cœci, nondum venisse; venturum autem, & liberaturum se, ac nescio quibus bonis beatos facturum nugantur.

155. Adeò autem populum illum, quondam suum, repudiavit justissimus judex, ut & sedes illorum, in quibus tot innocentium & sanctorum hominum sanguis fusus, damnasse, & superstitiosis, atq; adeò blasphemis gentibus addixisse in servitutem videatur.

156. Si enim ob injustam Abelis cædem, non auctorem ejus Cainum tantum multavit Deus, sed & terram, quæ os suum aperuerat, & hauserat innocentem illius sanguinem, clamantem de terra in cœlum; quanto gravius exarsisse iram æterni patris credibile est, quum Judæorum ingratissimus populus, & alios ad se missos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, partim occideret & crucifigeret, partim in synagogis suis flagellaret, partim de civitate in civitatem persequeretur?

Gen. IV.

Mat. XXIII. v. 34.

157. Immo verò, quum ipsum æternum æterni patris filium, hominem jam factum, ut hominum genus apud cœlestem patrem, à quo culpa suâ defecerat, in gratiam reponeret; hunc; inquam, quum non modò rejiceret ac sperneret, sed variis insidiis petitum, tandemque proditum, inauditis contumeliis affectum, verberibusque

que nefariis lacerum, in crucem cum duobus latronibus tolleret, odioq; prorsus hostili, auctorem salutis suæ persequeretur?

158. Non mirum igitur, si domus ipsorum deserta ac vastata est relicta: si missis copiis gens pariter cum urbe excisa; si neque lapis super lapidem relictus: si denique Hierosolyma à gentibus calcatur, donec tempora eorum impleantur.

159. Nam ne restitui quidem in integrum urbs illa ac templum, regnumque Israelis instaurari potuit, ex quo post exhibitum, & cruci affixum mundi liberatorem, excisa ea ac sublata sunt per Vespasianum atque Hadrianum.

160. Frustra itaq; Constantinus Magnus, frustra Christiani reliqui sequentibus temporibus, non modò Judæi, auctore Julianò, fuerunt, qui urbem reponere aut templum conati.

161. Nec minus irriti fuerunt omnes Europæorum, præsertim Christianorum apparatus, & expeditiones in terram hanc susceptæ, ut pulsis Saracenis ac prophanis gentibus, loca sancta non indignis possessoribus traderent. Deus enim ipse, Deus, inquam, de cœlo apertè, sibi istud consilium non probari, significavit, ac tantum non clarè denunciavit.

Apoc. XXI. 162. Quæramus igitur nos quidem supernam illam, de cœlo descendentem Hierosolymam, ornatam mirabiliter, & supra omnem, non modò visam, sed vel mente cujusquam conceptam pulchritudinem ac majestatem. *Phil.* III. *Ioan.* XIV. Ejus cives uti efficiamur, elaboremus omnibus viribus: præsertim quum sciamus, non habere nos hic perma-

nen-

nentem civitatem, sed quærere in cœlis parata nobis à Christo domicilia.

163. Veterem illam urbem, utut splendidam, pulchram, magnificam, pridem tamen suo fato defunctam, mittamus. Cujus potentia maxima fuit, Davide & Salomone regnantibus. Pulcherrima eadem fuisse videtur Herodis ævo, & paullo post, sub ipsum excidii tempus.

Vide Strabonis eximium locum lib. XVI *& Ioseph. passim.*

164. Facile etiam hodiernum, qualecunque id tandem est oppidum, Turcis, barbaris hominibus, & Christianis Monachis, diversarum nationum, linguæ, rituum permittemus. Quorum familiæ, in illa quoque servitute ac barbarie, sacra sua utcunque obeunt, locaque Christi memoriam renovantia, ut sibi quidem aliisq; persuadent, mercede à Turcis redemta, possident.

Videnda Itineraria diversorum.

165. Quæ qui transmisso mari visunt, præsertim religione animum stimulante, ut non admodum reprehendendos statuerim; ita vix satis caussæ esse credam, cur, non dicam equidem tantos sumtus in iter & res illas faciant, tantosque labores suscipiant, sed cur tot, tamque gravibus se periculis objiciant. quæ quàm multos involvant, & prorsus mirabili, neque rarò perpetuæ servituti addicant, narrationes plurium, qui malo suo ista didicerunt, testes sunt.

166. Accedit, quòd non ea hodie locorum in urbe, totaque, ut arbitror, regione facies, quæ fuit olim: tot hostium incursionibus, turbatâ, mutatâ, & nova rebus plerisq; facie inductâ.

167. Itaque etsi non cuivis nostrum hodie contingit Hierosolyma adire, ut olim Corinthum, & loca, in vete-

CAPUT. III.
De reliquis Judææ urbibus, & oppidis vicinis.

POst Hierosolyma, sanctam olim urbem & stupendam, Plinio *longè clarissimam urbium orientis, non Judææ modo*; vicina oppida, & urbes, etiam vicos illustriores videamus: præsertim quorum frequens in sacris literis mentio. Etenim *magna pars Judææ vicis dispergitur. Habent tamen & oppida*, ut scribit Tacitus.

Lib. v. *Nat. Hist.* 14.

v. *Histor.*

2. Principiò igitur ad orientem solem, trans montem Olearum non longè ab urbe distabat *Bethania*. XV. enim stadia saltem ab ea aberat, id est, nondum milliari German. dimidiato. In quo vico Lazarus, Christo Domino valde amatus, cum duabus sororibus Martha & Maria habebat domicilium: apud quos Servator noster frequenter diversatus est.

Iohan. xi. *Mat.* xxi. & xxvi. *Marc.* xi. & xiv. *Luc.* x. xix. & xxiv.

3. Quin Lazarum, paucis diebus antè, quàm ipse ad mortem pro salute generis humani oppetendam ultrò Hierosolymam proficisceretur, vita defunctum, monumentoque jam quartum diem inclusum, & fœtere incipientem, virtute suâ divinâ in vitam revocavit, omnibus obstupescentibus, qui aderant; Pontificibus autem præ invidia & odio ringentibus, ac frementibus.

Iohan. xi.

4. In eodem vico, cœnantem apud Simonem leprosum, Servatorem iisdem diebus mulier quædam fracto vitro perfudit unguento preciosissimo, indignantibus discipulis, præsertim Juda proditore; Christo verò pietatem

Matt. xxvi. *Marc.* xiv. *Ioh.* xi. & xii.

tatem fœminæ valde probante, & memoriam facti æternam pollicente.

Hieron. de Locis Hebraicis.

5. Loca illa miraculo tam illustri, & memoriâ Christi insignia, templis olim splendidis ornata ab hominibus piis fuerunt.

Matth. XXI. *Marc.* II. *Luc.* XIIV.

6. Pergentibus ex hoc vico Hierosolymam, ad sinistram erat viculus *Betphage*, domicilium sacerdotum, & *castellum* quoddam vicinum, ad radices Oliveti, unde jussu Christi asina cum pullo petita: cui insidens Servator urbem ingressus est, acclamante ac faustissima quæque comprecante multitudine præcedentis populi & sequentis.

Matth. XXI. *&c.*

7. Ad eam viam & *ficus* illa stetit, cui, quòd fructum in ea nullum invenisset, Dominus maledixit. quo facto statim exaruit. quare postera die animadversâ discipuli obstupefacti sunt.

Amos I. *Jerem.* VI. *in eumque locum Hieronymus.* II. *Sam.* XIV.

8. Ulterior erat, meridiem versus *Thecua*, patria Amos prophetæ, cujus & sepulchrum ibi exstabat Hieronymi ætate. Interfectus est, quod contra Israelem prophetaverat. Ex hoc oppido fuit & ea mulier, quæ Joabi ducis instinctu Absolomum Davidi regi, patri suo callidè reconciliavit.

I. *Sam.* XIII. *&* XIV.

9. Ulterius etiam erat *Bathaven* oppidum & desertum, Quibus in locis Saulus, rex primus Israelis, bellum gessit cum Philisthinis, & victoriæ auctorem potissimum, Jonathanum filium suum, quod is ignarus edicti improvidi, stimulante fame, paullulum mellis gustaverat, ad supplicium rapere voluit sævus pater.

Ioseph. XV. I. *Paral.* XX. *Ezech.* XLVII.

10. Ulterior porro erat *Engaddi*, una de præcipuis Judææ urbibus, in montibus, asperrimis & præruptis, quibus idem nomen. Hîc balsami olim, nobilissimi & fragrantissimi liquoris, maximus & felicissimus fuit proventus. Quemtam

tam rarum & nobilem stipitem Cleopatra, Ægypti regina, Herodi invidens in Ægyptum transtulit. De quo balsami horto, & fonte Jesu pueri, unde hortus ille rigari fertur, mira tradunt, modò satis explorata, recentiores quidam.

Ioseph. 1. bel. 13.

11. E regione urbis hujus in mari mortuo, sive lacu Asphaltite ponitur locus ubi *Sodoma* urbs olim stetit. quæ flagitiis suis æterni Dei indignationem provocans, misso cœlitus igne ac sulphure funditus deleta est, cum vicinis urbibus, scelerum sociis.

Gen. XVIII. & XIX.

12. Solus tum è communi incendio, divino tutus præsidio, effugit cum duabus filiabus Lothus, vir innocens & justus, quem Abrahamus patruus ejus aliquanto antè ab se in istam regionem dimiserat, & captum ab hoste reduxerat.

Gen. XIII. & XIV.

13. Uxor etiam ipsius salva egressa erat. Verùm quod spreto mandato divino ad urbem, & ea quæ post tergum erant, respexisset, obriguit, & mutata in *statuam salis*, orbi terrarum relicta est documentum, quam non spernenda sint vel in minimis Dei edicta. Hæc statua Josephi etiam ævo supererat: & conspici ibi hodieq; scribitur. Erat & *Segor* ibi, rus parvum, quo contendit Lothus cum filiabus; cui loco Dominus propter eum virum, pepercit. Hæc est *Zoar*, itemq; *Bela*.

Luc. XVII. 32. *11. Antiq. 12.* *Gen. XIX. 2. & seq. Es. XV. Jere. XLVIII.*

14. Postea tamen, metu incolarum, & hinc discedens in spelunca quadam montis vicini delituit aliquamdiu, & vino gravis, astuque filiarum circumventus, fœdum in peccatum est prolapsus.

15. Ceterùm de urbium istarum, & regionis universæ clade longè tristissima, & mutata ejus facie, operæ pre-

cium est paullo diligentius agere, eamq; hac occasione, etsi properamus, lectori aliquanto notiorem reddere.

16. Igitur nihil eo amœnius, aut magis frugiferum erat eo tempore, quo Lothus ab Abrahamo, patruo suo, in hanc oram cum familia sua & gregibus concessit. Hanc enim, optione sibi datâ, elegit, quam cum suis coleret.

Gen. XIII. *v.* 10. *& seq.*

17. Verùm satius est ipsum hac de re Mosen, virum divinum, audire. *Elevatis Lot oculis, vidit omnem circa regionem Jordanis, quæ universa irrigabatur, antequam subverteret Dominus Sodomam & Gomorrham, sicut Paradisus Domini, & sicut Ægyptus, venientibus in Segor. Elegitq; sibi Lot regionem circa Jordanem, & recessit ab Oriente: divisiq; sunt alterutrum à fratre suo. Abraham habitavit in terra Chanaan: Lot verò moratus est in oppidis, quæ erant circa Jordanem, & habitavit in Sodomis.*

1. *Antiq.* 9.

18. Josephus, non spernendus in Judaicis rebus Mosis interpres, idem tradit, *Abrahamum contentum* ait, *relicta sibi portione agri submontani, domicilium sibi elegisse in oppido Hebrone. Lotho verò campi cesserunt,* inquit, *& planicies Jordani fluvio contigua, non longè à Sodomorum urbe, quæ tunc bona & magna; nunc divina ultione ac ira, ut ne vestigium quidem superfit, est deleta.*

19. Ejus cladis caussa fuit impietas, insolentia, luxus, & libidines nefariæ. Quæ vitia oriri solent è nimia felicitate, & gignere possessoribus suis calamitatem, sæpe etiam perniciem.

Lib. eod. c. 10. *Gen.* XIV. *Iose.* 1. *Antiq.* 11.

20. Itaque & Sodomitæ, quorum res, eodem Josepho teste, tam opibus, quàm numerosa juventute florebant, ut à quinque regibus administrarentur, antea quoque Assyriorum armis castigati, victique & captivi sunt ab-

abducti. Quos tamen virtute sua, annuente ipsi victoriam Deo, reduxit Abrahamus.

21. Neque verò etiam sic ad frugem se receperunt, quin potius, eodem auctore, *divitiis & abundantia pecuniarum elati, tam in homines contumeliosi erant, quàm erga Deum impii, quippe qui neque beneficiorum ejus meminerant, & hospites aversabantur: deniq; mutuis etiam libidinibus sese incestabant.*

1. *Antiq.* 11.

22. *His rebus offensus Deus, decrevit superbiæ pœnas debitas irrogare, & regionem eorum adeò vastam reddere, uti posthac neq; plantas, neq; fructum ullum produceret.*

23. Quam sententiam suam uti exequi maturaret, impiis ac nefariis suis libidinibus fecerunt Sodomitæ, qui ad stuprum deposcere hospites angelos, quos illi formæ excellentis juvenes putabant, non sunt veriti.

24. Itaque educto prius per eosdem angelos hospite Lotho, *pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cœlo: & subvertit civitates has, & omnem circa regionem, universos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia.*

Gen. XIII. 24.

25. Josepho quoque, post nefanda Sodomitarum ausa, & flagitia hactenus patrata, *Deus jaculatur telum in urbem, eamq; cum ipsis incolis exurit, & agrum quoq; pari devastat incendio.*

11. *Antiq.* 12.

26. Hanc cladem avertere precibus suis solicitè admodum conatus fuerat Abrahamus, & jam de salute civitatum quinq; impetraverat; ni malitia earum ita late omnia inundasset, ut ne decem quidem innocentes in tot urbibus reperirentur.

Gen. XIIX.

27. Perierunt igitur cum habitatoribus suis ipsæ urbes:

bes; omnisque regio, uti antè flagitiis, ita tum lacu fœdo obruta est, æstuante quasi ab imo fumum, & nebulas graves exhalante.

Gen. XIX. 27. & seq.

28. Testes ejus rei ipsæ sacræ literæ. Etenim *Abraham consurgens manè, ubi steterat prius cum Domino, intuitus est Sodomam & Gomorrham, & universam terram regionis illius: viditq; ascendentem favillam de terra quasi fornacis fumum.*

Plin. v. Nat. hist. 15. & seq

29. Hic est ille *Lacus*, ut Plinius ait, dirus naturâ, quem ab exundante bitumine, quod ἄσφαλτ@. Græcis, *Asphaltiten* vocant. Cujus miram naturam probè expressit Josephus; *Commemoratione dignum puto*, inquit, *Asphaltitis quoq; naturam exponere lacus.*

Lib. v. de bel. Iudaic. cap. 5

Adde Borchard, monach. cap. VII. §. 35.

30. *Longitudo ejus* DLXXX. *stadiorum est, id est miliarium Germanicorum* XIIX. *Latitudo* CL. (*milliar. German. prope* V.) Plinio *excedit longitudine centum* M. *passuum: latitudine maximâ* XXV. *implet: minima sex.* Josepho porrò, *coloris mirabilis mutatio, Superficiem enim quotidie ter mutat, & solis variata radiis resplendet.*

31. *Aquæ ea ratio, ut etiam quæ gravissima sunt, in eam jacta fluitent, demergi verò in profundum, ne quidem de industria quisquam facilè queat. Nam & Vespasianus, qui visendi ejus caussa illuc venerat, jussit quosdam nandi inscios, vinctis post terga manibus, in altum projici. qui omnes, quasi spiritus vi sursum repulsi, desuper fluitabant.*

Adde Plin. ibidem.

32. *Est verò salsus hic lacus ac sterilis.* (unde Mare mortuum absque dubio appellatur.) *Multis tamen locis vomit nigras bituminis glebas, quæ super undam, & habitu, & magnitudine tauris sine capitibus assimiles, natant.*

33. Mira verò colligendi ejus ratio ab eodem refertur. *Ad eas*, inquit, *glebas sive massas quum lacus exercitores*

tores accesserint, nacti quod aggestum est, ad naves trahunt: & quia lentum est, repletas eas abrumpere nequeunt; sed quasi religata scapha pendet à cumulo, donec menstruo mulieris atque urina solvatur.

34. De usu ejus idem: *Est utile non modò ad compagines navium, sed ad corporum etiam curationem multis remediis admiscetur.*

Adde Xiphil. è Dionis libro LXVIII. de Babylonico bitumine.

35. *Huic Sodomitica terra vicina est, olim quidem tam fructibus, quàm divitiis civitatum fortunata. Nunc autem omnis exusta, ut quæ habitatorum impietate fulminibus conflagrasse memoratur. Denique adhuc in ea divini reliquias ignis, & oppidorum quinque videre licet imagines, & renascentes in fructibus cineres, qui colore quidem sunt edulibus similes; carpentium verò manibus in fumum dissolvuntur & cinerem.* Hactenus Josephus.

36. Nec minus luculenta est Romani scriptoris de eo narratio. *Lacus immenso ambitu, specie maris, sapore corruptior, gravitate odoris accolis pestifer, neque vento impellitur, neque pisces, aut suetas aquis volucres patitur. Incerta unda superjacta, ut solido feruntur: periti imperitiq; nandi perinde attolluntur.*

Tacitus V. Hist.

Adde Plin. II Nat. Hist. cap. 103. & Senec. III. Natur. quæst 15.

37. *Certo anni tempore bitumen egerit: legendi enim usum, ut ceteras artes, experientia docuit. Ater suapte natura liquor, & sparso aceto concretus, innatat. Hunc manu captum, quibus ea cura, in summa navis trahunt. Inde nullo juvante influit, oneratq; donec abscindas. Nec abscindere are ferrove possis. Fugit cruorem vestemque infectam sanguine, quo fœminæ per menses exsolvuntur. Sic veteres auctores.*

Solin. Polyhist. cap. IV.

38. *Sed gnari locorum tradunt, undantes bitumine moles pelli, manuque trahi ad littus. Mox ubi vapore terræ, vi solis inaruerint, securibus, cuneisq;, ut trabes aut saxa, discindi.*

39. Hacte-

39. Hactenus de lacu, sive mari hoc Judaico Tacitus. Idem de vicinia ejus, & regione, quæ quondam *Pentapolis*, à quinque urbibus dicta, ita pergit. *Haut procul inde campi, quos ferunt olim uberes, magnisq; urbibus habitatos, fulminum jactu arsisse: & manere vestigia; terramque specie torridam, vim frugiferam perdidisse. Nam cuncta sponte edita, aut manu sata, sive herbatenus aut flore, seu solitam in speciem adolevére, atra & inania velut in cinerem vanescunt.*

40. Et caussa vel non satis ipsi comperta, vel credita. *Ego, sicut Judaicas quondam urbes igne cœlesti flagrasse concesserim, ita halitu lacus infici terram, corrumpi superfusum spiritum, eoq; fœtus segetum & autumni putrescere reor, solo cœloq; juxtà gravi.* Hæc ille.

Borchard. cap. VII. §. 55. *Salig. Tom.* IX. *c.* 6.

41. Qui non ita pridem lacum istum inspexerunt, aquas perhibent spissas, sordidas, fœtentes, amarissimas, & supra alias marinas salsas. Itaq; nec pisces esse vitales, si quos Jordanis impetus huc abstulerit.

Navigat. lib. I. *cap.* 10.

42. Hoc verò etiam memorabile, quod addit è Ludovico Romano, *adstrui posse, tres esse urbes, quæ singulæ in clivo singulorum montium sint positæ. & circiter altitudinem trium vel quatuor cubitorum adhuc visitur nescio quid instar sanguinis, quasi exprimat rubicantem ceram humo admixtam.* tota circum regio aquarum expers esse dicitur.

43. Atque hæc nunc quidem de mari mortuo, quod & salsum, & salis, & solitudinis, itemque *lacus Asphaltitis* dicitur. In quem laudatissimas aquas evolvit *Jordanes* fluvius, uti pòst dicetur suo loco. Trans eum fluvium *Arnon* etiam huc descendit παράλληλος Jordani: & ab altera parte *Cedron* torrens, Hierosolymorum mœnia præterlapsus; fortè & alij obscuriores.

44 Qui-

44. Quibus missis reliqua tribus Judæ loca lustrabimus. In hac regione, quæ mari mortuo, & montibus fere perpetuis cincta, multi colles ac montes illustres, cùm aliis rebus gestis, tum Davidis exsulio. Quum enim Saulis regis sævitiam fugeret, hîc cum suorum cohorte ferè delitescebat.

Lib. Samuelis priori.

45. Desertum enim *Ziph*, mons item atque oppidum ejusdem nominis hîc fuérunt: hîc *Achila* collis, sive rupes ardua & alta inprimis: quorum sæpe fit mentio in historia exsulii Davidici.

1. Sam. XXIII. & XXVI.

46. Huic rupi castellum *Massada* impositum munivit Jonathas Pontifex. quod postea Herodes mirificè auctum ornatumq; ingenti & vario apparatu bellico instruxit. Romani tandem ægrè etiam expugnarunt: quum latrones, qui castellum hoc invaserant, desperata salute mutuò sese contrucidassent.

Joseph. VII. *bel. Jud.* 28. & *seq.*

47. Ejusmodi castellum erat & *Herodium* in finibus tribuum Juda & Benjamin: quod idem Herodes incredibili pulchritudine exornatum de suo nomine appellavit. Urbem etiam colli, structæque in eo arci circumdederat, Hæc quoque latronibus in bello Judacio erepta à Romanis sunt.

Joseph. XV. *Ant.* 12. & I. *bel.* 16.

48. Porrò ad occasum ab Herodio pergentibus, in finibus Juda & Benjamin, impositum item monti erat oppidum *Bethlehem*, ubi in lucem editus est è Maria sanctissima virgine, CHRISTUS, generis humani unicus liberator. Hîc inquam, orta est lux illa, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum: lumen ad revelationem gentium, & gloriam populi sui Israel. Hîc panis ille vitæ de cœlo descendit.

Luc. II. *Joan.* I. *Luc.* II. *Joh.* VI.

49. Hîc pati pro nobis inopiam atque egestatem, san-

Luc. II.

ſanguinem etiam ſuum fundere cœpit. Hic cum paſtores primum, moniti ab angelis, in præſepi jacentem venerati ſunt. hic Magi ab Oriente, longiſſimo itinere emenſo, ſtellâ novâ atque inuſitata exciti, ductique, regum illum regem adorarunt, & munera ut homini, regi, Deo ſupplices obtulerunt.

Matth. II.

Iuvencus & alii.

50. Quod tantum opus, quum ad æternam generis humani ſalutem pertineret, ita affecit commovitq; non homines tantum, (quorum tum maxima pars rem iſtam omnem aut ignorabat, aut ſpernebat) ſed & beatiſſimos genios, ut cœlo deſerto in terras magnis agminibus deſcenderent, & cœleſti voce hymnum admirandum omnibus, nemini ſatis, ut opinor, pervidendum, concinerent, GLORIA IN ALTISSIMIS DEO: ET IN TERRA PAX: IN HOMINES BENE VOLENTIA.

Luc. II.
1. *Pet.* 1. 12.

51. Hæ res tam illuſtres, adeoq; divinæ, oppidum Bethleem non modo celeberrimis Judææ urbibus facilè æquarunt claritate, ſed effecerunt, ut prope omnibus univerſi orbis urbibus anteponi jure poſſit.

Gen. XXXV.

52. Etſi ante quoque obſcurum non erat ejus nomen, in ſacris literis præſertim. Nam & Jacobus patriarcha uxorem ſuam Rachelem, è partus doloribus defunctam, in hac regione ſepeliit, unde & *Rachel* tota appellata eſt regio; in qua poſtmodum incredibilem excitavit Herodes luctum, occiſis infantibus, quotquot duorum annorum, aut minores erant.

Matth. II. 16. *& ſeq.*

Gen. XXXV.

53. De regione ipſa, & nomine ei impoſito ita ſcribit Moſes: *Mortua eſt ergo Rachel, & ſepulta in via, quæ ducit Ephratam: hæc eſt Bethlehem. Erexitq; Jacob titulum ſuper ſepulchrum ejus. Hic eſt titulus monumenti Rachel, usq; in præſentem diem.*

54. De

54. De cæde infantium, & luctu regionis Matthæus: *Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem, Vox in Rhama audita est, fletus & ejulatus multus. Rachel plorans filios suos, & noluit consolationem admittere: quia non sunt.* — *Matth. II.*

55 Satis longo dein post Jacobum intervallo Bethleemum illustravit *Abessan*, unus è numero Judicum, cujus memorabilis fuit & virtus, & soboles numerosa, Etenim *habuit* XXX *filios & totidem filias. Quas emittens foràs, maritis dedit: & ejusdem numeri filiis suis accepit uxores, introducens in domum suam. Hic septem annis judicavit Israel: mortuusq; ac sepultus in Bethlehem, ubi & natus fuerat.* — *Iud.* XII. 8. & *seq.*

56. Postea *Isai* ejusque familia, & majores, cum primis vero *David*, filius venerandi illius senis, oppidum hoc nobilitavit. Quem magno animo, & commemoranda pietate præditum adolescentulum, Deus per Samuelem prophetam, spretis adultioribus fratribus, regem Israelis unxit: tandemque post multa pericula adita, post res magnas gestas, & diuturnum exsulium, Saulo rege in pugna cæso, substituit, semperque mirifico patrocinio tutatus est. — *Lib. Ruth. lib. Samuel. utroq;*

57. Verùm nihil æquè claritatem oppido isti, per orbem terrarum celeberrimo, conciliavit, quàm æternus atq; immortalis, æterni patris unigenitus filius, CHRISTVS IESUS, qui sumta carne è sanctissima virgine Maria, HOMO FACTUS, hoc potissimum natale suum esse solum voluit, ut diximus.

58. Quæ tam salutaris res ita est ab Evangelistis, spiritu Dei edoctis, exposita, ut nemo, qui quidem ullum modò sensum veræ pietatis habeat, sine intimo animi — *Mat.* I. & II. *Luc.* I. & II. *Iohan.* I.

motu, & gaudio mentis singulari, legere, audire, aut cogitare eam possit.

59. Equidem pios ac religiosos homines credo, vel cogitatione sola, aut commemoratione sanctorum locorum, rerumque in iis gestarum, incredibili quadam, & non temere verbis explicanda voluptate persundi. Mihi quidem id accidere fateor.

60. Itaque vel eam ob caussam Bethleemum omnibus, vel magnificentissimis orbis terrarum urbibus non modò facile comparo, sed longè etiam antepono, quod nascentem mundi liberatorem CHRISTUM princeps excepit.

61. Nec immeritò, ut opinor, Christiani & diserti satis poëtæ verbis exclamem:

Prud. Hymn. Epiphan.

O sola magnarum urbium
Major Bethleem, cui contigit
Ducem salutis cœlitus
Incorporatum gignere!
Quem stella, quæ solis rotam
Vincit decore ac lumine,
Venisse terris nunciat
Cum carne terrestri Deum.

62. Rectè puto atque ordine, adspectu ejus, qui in hoc oppido nasci dignatus est, hodieq; nos locum tacita veneratione prosequi. Quem *Helena*, mater Constantini Imper. sumtuosissimo & splendidissimo templo & cui non fortè ullum aliud eo tempore parerat, ornavit, ut pium suum in eum testaretur adfectum.

Euseb. III. de vita Constãt. Socrat. hist. eccles. Soz. II. Niceph. IIX. 30. Salig. Tom. X. cap. 3 Borch. c. VII. §. 56.

63. Eodem animo & *Paula*, nobilissima fœmina Romana, quatuor ibi monasteria instituit: ut assiduo, virginum maximè, sed & virorum cultu, memoria divini bene-

beneficii conservaretur. Quæ & diem suum hic obiisse dicitur: uti & sanctus *Hieronymus*: cujus cellulam, precum & meditationum officinam, ibi hodieq; monstrant.

64. Postremò piis semper & religiosis hominibus sancta fuit Bethleemi, & locorum, ubi natus mundi servator, ubi primos vagitus edidit, ubi circumcisus fundere sanguinem pro nobis cœpit, recordatio.

65. Nam Hadrianus quidem Imp. si contemptu sacrorum gentis Judaicæ, Christianorum quoq; cerimonias, & loca religionis nomine in precio habita, contemsit ac prophanavit, quid mirum? Nempe superstitione gentili dementatus, & tenebris adsuetus pudendis, splendorem veræ pietatis ferre non potuit.

66. Hic enim tam locum nativitatis in Bethleem, quàm passionis, mortis, & resurrectionis ad Hierosolyma, impuris dæmonum suorum statuis contaminavit.

67. Testis ejus rei locupletissimus B. Hieronymus, *Ab Adriani temporibus, usq; ad imperium Constantini, per annos circiter centum octuaginta, in loco resurrectionis simulacrum Jovis; in crucis rupe statua ex marmore Veneris, à gentibus posita colebatur: existimantibus persecutionis auctoribus, quod tollerent nobis fidem resurrectionis & crucis, si loca sancta per idola polluissent.*

Epistolâ ad Paulinum.

68. *Bethlehem, nunc nostram, & augustissimum orbis locum, de quo psalmista canit;* Veritas de terra orta est, *lucus inumbrat Thanius, idest, Adonitis: & in specu, ubi quondam Christus parvulus vagiit, Veneris amasius plangebatur.* Hactenus pater ille venerandus.

Psal. LXXXV.

69. Expiavit autem locum, ut diximus, & magnam dignitatem ei addidit Helena Britannica, aliiq; pii & religio-

Wilh. Tyr. de bel. sac. lib. XI, & XV.

giosi homines illo ævo, etiam posteriori: quum urbem sanctam & terram hanc recuperassent Christiani, ex Europa hac nostra progressi.

Borchard. c. VII. § 56. & Barth. de Saligniaco Itinerar. Tom. X. cap. 3.

70. Permansit igitur hactenus Bethleemo sua veneratio: & templum nativitatis pulcherrimum mirificeq; ornatum, adeò ab aliorum injuriis tutum scribitur fuisse, ut & portento quodam admirabili defenderetur aliquando adversum ipsum Sultanum, qui crustis marmoreis parietes nudare voluerat. Itaque & Turcæ quoque & Sarraceni magna veneratione hodieque illud adire perhibentur.

Vide Adrich. è Saligniaco.

71. Erat id in Orientali parte oppidi, in declivi montis. Hoc ipsum *oppidum hodie* valde attenuatum, vix centum habere domus, easq; humiles, cum habitatoribus raris scribitur. *Regio adjacens* miræ olim fœcunditatis atque amœnitatis fuit. etsi desertum vicinum leonibus atq; ursis, Davidis ævo, postea latronibus infestum erat.

I. Reg. XVII. Hieron. ad Dardanum. Gen. XXXV. Mich. IV. Luc. II.

72. Non longè distabat Bethleemo *Turris Ader*: ad quam & Jacob olim Patriarcha tabernaculum sibi fixerat: & angelus pastoribus, noctu greges suas custodientibus, apparuisse, & natum jam in vicino oppido mundi Servatorem nunciasse creditur.

Lib. de Loc. Hebr.

73. Hac de re & de Bethleemo sanctum audire Hieronymum operæ precium fuerit: quum is hæc ipsa loca incoluerit, ut diximus. *Bethleem*, inquit, *civitas David, in sorte tribus Juda: in qua dominus noster atq; salvator natus est, in sexto miliario ab AElia, contra meridianam plagam juxta viam, quæ ducit Chebron, ubi sepulchrum Jesse, & David ostenditur.*

74. *Et mille circiter passibus procul turris Ader, quæ interpre-*

pretatur turris gregis, quodam vaticinio pastores dominicæ nativitatis conscios ante significans. Sed & propter eandem Bethlehem regis quondam Judææ Archelai tumulus ostenditur: qui semitæ ad cellulam nostram, è via publica divertentis principium est.

75. In radicibus montis, cui Bethleemum impositum, *fons* olim erat, sive cisterna: cujus aquam expetenti Davidi tres fortissimi heroum, sui periculo hauserunt, quum Philistinorum, qui castra ibi tum habebant, præsidia perrupissent, aut depulissent. etsi vir sanctus tanto petitam capitis discrimine gustare non sustinuit: Dominoq; libavit. Atq; hactenus fuit augustissimum oppidum Bethlehem: cujus ipso nomine recreari atq; excitari animum jacentem ac torpentem sentimus. *II. Sam. XXIII.*

76. Bethleemo, itemq; Hierosolymis vicinum erat, *Bethsura*, castellum munitissimum, in finibus tribuum Juda & Benjamin. Hoc in via quæ Gazam ab urbe Hierosolyma ferebat, in montibus ædificatum, & à Maccabæis inprimis munitum est, qui multas ibi victorias & illustres consecuti sunt. *I. Mac. IV. VI IX. X. Joseph. XIII. Antiq. 9.*

77. Hieronymus, *Bethsur*, inquit, *in tribu Juda sive Benjamin: & est hodie Bethsoron, vicus euntibus nobis ab AElia Chebron, in vicesimo lapide: juxta quem fons ad radices montis ebulliens, ab eadem, in qua gignitur, sorbetur humo. Et Apostolorum acta referunt, Eunuchum Candacis reginæ in hoc esse baptisatum â Philippo. Est & alia villa Bethsur in tribu Juda; mille passibus distans ab Eleutheropoli.* *De locis Heb. in voce Bethlehem. Adde eundem in voce Ephrata.*

78. Josephus munitissimum totius Judææ castellum vocat Bethsuram, idq; captum à Simone Maccabæo, hostium præsidio ejecto, demonstrat. *Loco jam dicto.*

Luc. I. Matth. XI.

79. Prope hoc castrum ponitur & *domus Zachariæ sacerdotis.* è quo natus est Joannes, cognomento Baptista: quo majorem è mulieribus natum esse negat Servator noster. Is in hac domo natus est; ad eamq; Virgo Maria, usq; à Nazareth, oppido Galilææ, profecta salutavit Elisabetham cognatam suam, cum eaq; de mysteriis hactenus mundo ignotis sermones pios contulit.

I. Maccab. III. v. 40 Luc. XXIV.

80. In eadem vicinia fuisse scribitur *Emmaus*, oppidum non modò victoriâ Judæ Maccabæi nobilitatum, sed & Servatoris nostri facto inprimis memorando. Hic enim duobus discipulis sese tandem aperuit eo die, quo à mortuis resurrexerat: quum eos antè totâ viâ de æterno Dei consilio, & Christi officio, morte & resurrectione edocuisset. Distat oppidum Hierosolymis LX. stadiis, id est, duobus prope milliaribus Germanicis.

De loc. Hebr. Brochar. VII. §. 50. Salig. Tom. VI. 4.

81. Hoc oppidum postea dictum est Nicopolis, à victoria, ut creditur, Romanorum de Judæis parta. *Emaus,* inquit Hieronymus, *quo loco fuit Cleophas, cujus Lucas meminit Evangelista, hac est nunc Nicopolis, insignis civitas Palæstinæ.*

Sozom. V. Eccles. Hist. 20. Niceph. X. 31. Tripart. VI. 42. Plin. V. 14.

82. Fontem ante hoc oppidum fuisse, prope trivium, ejusque aquas non hominibus tantum, sed & aliis animalibus salutares in morbis, quod Servator in eo pedes aliquando laverit, auctores sunt nonnulli. quod in medio relinquimus. Plinius quidem etiam noverat *fontibus irriguam Emmaum: ut Hierichuntem palmetis consitam.*

Joseph. II. bel. Jud. cap. 5.

83. Varus initio belli Judaici vicum hunc exussit, habitatoribus fugâ dilapsis. Indignè enim ferebat Arii & aliorum necem, qui ibi interierant à Judæis oppressi.

Qua

Qua de re idem scriptor alibi, *circa Emmauntem*, inquit, *Romanam cohortem, frumenta & arma in exercitum portantem, insidiis exceperant, ductoremque ejus Arium centurionem, cum XL. fortissimis peditibus, telis confixerant.*

xvii. *Antiq.* cap. 12.

84. Postea instauratum esse necesse est, quum terræ motu subversus legatur anno Christi CXXX. Pro cujus instauratione ad M. Aurel. Antonium Heliogabalum, Imp. Rom. legatione functus est Julius Africanus historicus.

Euseb. Chron.

85. Eundem vicum longius quidam ab urbe sancta absuisse volunt, & alio loco statuunt. Nobis religio est à sacris literis discedere, quæ LX. stadiorum viam Hierosolymis Emmauntem usque produnt

86. Porrò in finibus Juda, Benjamin, atque Dan fuerunt *Sochot* & *Vallis Terebinthi*, ubi Philistæi contra Saulum regem Israelis olim castra metati. Quo loco Goliathus immani corporis vastitate horrendus, quum diu exercitui Israelitico acerbissimis conviciis insultasset, à Davide adolescentulo, ac pæne puero, eodemque inermi, armatus ipse, misso fundâ lapide prostratus est.

1. *Sam.* xvii.

87. Fuit & *Azecha* hac in parte Judææ, urbs munita. Huc usque olim hostes suos persecutus est Josua, tum quum lapideam in eos grandinem deplueret Dominus. Neque longè hinc aberat *Maceda* spelunca ad oppidum ejusdem nominis. In quam cum reges Amorrhæorum quinque metu victoris confugissent, inclusi primum jussu Josuæ, postea producti, & de arboribus suspensi sunt.

Josue. x.

Ecclesiast. xlvi.

88. Erat & *Lebna*, urbs Levitarum munita, aliaque oppida in tribu Juda, de quibus singulis agere nostri nunc

Jos. x. xii. xv. xxi. ii. *Reg.* viii.

 non

xiix. xix. xxiii. xxiv. 1. *Par.* vi. ii. *Par.* xxi. *Esai.* xxxvii *Jerem.* li. 1.

non est instituti, & factum est satis diligenter ab Adrichomio, quem lector adeat, & plura de his, si ita videtur, ex eo hauriat: cum primis verò, in lectione sacrarum literarum & Josephi annotet, quæ huc pertinent.

89. Unam omnino aliquanto plenius etiam in hac regione persequi urbem debemus. Ea est *Hebron.* quæ & antiquitate & nobilitate pleraque hujus partis oppida facile vincit.

Num. xiii.

90. Vetustissima ea fortè omnium est terræ Chanaan, condita septem annis ante Tanim, sive Zoan, regiam Ægypti urbem, ut scribit Josephus. Et idem *Chebron*, inquit, *indigenæ ferunt, non ejus modò terræ civitatibus, sed AEgypti etiam Memphi antiquiorem. Deniq; duo millia & trecenti ejus anni connumerantur.*

1. *Anti.* 9. v. *bel. Iud.* c. 7.

91. Sita erat, ut pleræque hujus regionis urbes & oppida, in monte. Hierosolymis distabat miliaribus Germanicis quinque & duobus passuum millibus.

92. Dicta fuit & *Cariath Arbe.* de quo nomine B. Hieronymus. *Arboch,* inquit, *corruptè in nostris exemplaribus scribitur, quum in Hebræo legatur Arbee id est, quatuor: eo quod ibi quatuor patriarchæ, Abraam. Isaac & Jacob sepulti sunt, & Adam magnus, ut in Jesu libro scriptum est: licet eum quidam conditum in Calvariæ loco suspicentur.*

De locis Hebraic. voce Arboch.

93. Exstructa creditur ab Heth, filio Chanaan, nepote Cham, Noe pronepote. Hethæi certè Abrahami tempore possederunt Chebronem, & agrum vicinum, ut ex Abrahami constat historiâ, qui & domicilium hic sibi fixit, & agri partem cum duplici spelunca emit de Ephrone, interventu filiorum Heth, quo sua & suorum ossa post obitum inferrentur.

Gen xiii. & xxiii.

94. Hoc igitur primum fuit prædium, quod de terrâ

Gen. xii. & *seq.*

râ Chanaan, sibi à Deo, & semini suo promissâ, mancipio tenuit Abrahamus, in quo & ipse, & Isaacus filius, & Jacobus nepos, cum uxoribus ipsorum plerisq; conditi fuere. Ossa etiam Josephi pronepotis, ex Ægypto translata hîc conquiescere creduntur; quod ipsæ refellunt sacræ literæ.

Gen. XLIX. 29. *& seq.*

Borch. VII. §.65. *Salign.* X c.5.

Iosu. XXIV.

95. Hebrone in Ægyptum descenderat Jacob, urgente fame, cum universa familia, ad Josephum filium, qui pro rege illa tempestate Ægyptum salutaribus consiliis regebat. Ubi vitâ functus, splendidè à filiis huc est revectus, & patribus suis appositus.

Gen XLVI.

Gen. L.

96. Sepulcra eorum, è pulcherrimo fabricata marmore etiam Flavii Josephi ævo exstabant in hac urbe, ut ipse scribit.

v. bel. 7.

97. Israelitæ deinceps longo pòst tempore ex AEgypto in terram Chanaan quasi postliminio reversi, etiam Hebronem cum aliis urbibus in potestatem suam redegerunt. Expugnavit eam Caleb, vir fortis & acer, magniq; animi, etiam extremo vitæ suæ tempore integris corporis viribus præditus.

Iosue. XIV.

98. Hunc cum Josua, & decem aliis, exploratum terram, à Deo Abrahami posteris promissam, misit Moses, quum è deserto ad fines usque terræ Chanaan populum Israelis deduxisset. In quam præter hos duos, ex omni illa virorum multitudine, quæ ex Ægypto educta fuerat, ingressus est nemo: quòd Deum graviter nimis & sæpe contra se irritarent, nec fidem promissis ejus adhiberent.

Num. XIII.

99. Josua igitur & Calebus tantum, cum sobole illorum, quæ interea adoleverat, Jordanem transgressi sunt incolumes. & hic quidem promissam sibi ante

Num. XIV. *Josu.* XIV.

tè à Deo per Mosen occupavit sortem, id est, Chebronem cum vicinia.

Num XIII. *ubi eorum nomina referuntur.* V. *Antiq.* 2.

100. Tenebant eam urbem tum filii Enakim, qui ingenti robore, & magnitudine corporum ceteris terrori erant. *Apud hos*, inquit Josephus, *in eam diem superstites erant quidam è gigantum genere, staturâ & specie ceteris mortalibus dispares, visu simul & auditu horribiles: quorum ossa adhuc ostenduntur, qualia vix credant, qui non viderunt ipsi.*

De Loc. Heb.

101. Hieronymus quoque, *Hac est*, inquit, *Chebron, olim metropolis Philistinorum, & habitaculum gigantum, regnumque postea David, in tribu Juda civitas sacerdotalis & fugitivorum.*

Ioseph. ibid.

102. Paucis multa complectitur sanctus vir. Etenim, ut Josephus addit, *hoc oppidum Levitis honoris gratia concessum est, cum illis duobus cubitorum millibus. Reliquum ejus agrum Calebo donarunt, juxta mandatum Mosis.*

Ioseph. XX. *Exod.* XXI. *Num.* XXXV. *Deut.* XIX.

103. Erat autem una earum urbium, in quas, volente ita Domino, fugere poterat, qui casu fortuito, neque datâ operâ hominem interemisset: donec legitimè disceptata caussa ab universo populo fuisset.

II. *Sam.* II. II. *Sam.* XV. *& seq.*

104. David postea regnum hac eadem in urbe auspicatus est, post interitum Sauli. Absolomus quoque ejus filius, dolo circumvento patre, quum votum hîc solvere, olim in exsulio nuncupatum, velle se simularet, illecto ad defectionem populo, regnum invasit, atque in patrem mox seditiosam illam suorum manum duxit. quæ tamen res ei, uti debebat, in perniciem vertit.

Gen. XIII. *& seq.*

105. Est & aliis eventibus illustris hæc urbs. de quibus nunc nihil, brevitatis studio agendum mihi statuo *Mambre* convallem, sedem Abrahami, sanctissimi viri, &

quo

quo Deus ipſe familiariter uſus eſt, ſilentio prætermittere non debeo.

106. Hîc enim angelos etiam hoſpitio excepit, & conſilii divini particeps factus eſt. Sub arbore *Terebintho* eam rem geſtam creditum eſt. de qua Joſephus, *cernitur*, inquit, *ſexto ab oppido ſtadio arbor maxima Therebinthus: eamque memorant ab initio mundi creati nunc uſq; durare.*

Gen. XVIII.

v. de bel. Iud. cap. 7.

107. Hieronymus item; *Diſtat ad meridianam plagam ab AElia millibus circiter viginti duobus* quercus Abraham, *quæ & Mamre uſque ad Conſtantini regis imperium monſtrabatur: &* Mauſolèum *ejus in præſentiarum cernitur.*

De loc. Hebr. verb. Arboch.

108. *Quumq; à nobis jam ibidem* eccleſia *ædificata ſit, à cunctis in circuitu gentibus Terebinthus ſuperſtitiosè colitur, eo quòd ſub ea angelos Abraham quondam hoſpitio ſuſceperat.* Templum illud dicit opinor, Hieronymus, quod ad duplicem ſpeluncam ædificavit Helena, aut ejus juſſu Chriſtiani. qui quo tempore Palæſtinam poſſidebant, templum cathedrale hîc ſtatuerunt.

Niceph. VIII. 30.

Borch. c. VII. §. 6. *Ioſeph. v bel. B. Salign.* X. 5.

109. *Priſca* illa, & pervetuſta urbs *Hebron* diruta pridem eſt, bello nempe Judaico. Cujus ingentes ruinæ, in monte, ubi ſteterat, hodieque etiam magnitudinem ſuam, & fortunam veterem præferre & mutæ quaſi clamitare feruntur.

110. *Nova* autem & hodierna urbs, in propinquo, ubi Mambre convallis, & lucus ei adſitus, peramœnus fuit, exſtructa eſt, ad quem Abrahamus olim ſuum fixerat tabernaculum: ubi etiam in hunc diem, è radicibus antiquæ illius, & religione mira cultæ olim, enatam exſtare ſcribunt terebinthum, qui peregrinati iſtis in locis ſunt.

Borch. VII. §. 64. & 65. *Salig.* X. *cap.* 5.

III. Bor-

Cap. VII. §. 65.

111. Borchardus monachus, quem vulgò Brocardum vocant, quiq; sanctam terram magno studio, & religiosè contemplatus est An. Christi circiter MCCLXXX. *Ilex mambre*, inquit, *etiam hodie ostenditur ante ostium tabernaculi Abrahæ. Scias tamen antiquam illam exsiccatam esse. sed ex ejus radice pullulavit alia, de cujus ligno & fructu mecum tuli. Folia modico majora, quam lentiscus: sed fructum penitus habet, ut quercus. Eadem fere Saligniacus refert.*

112. Turcas quoq; in hunc diem locum venerari & templo perquam munito, (Moscheam ipsi vocant) eum occupare. Neque cuiquam sive Judæo, sive Christiano aditum eo permittere accepimus. Ostendi tamen sanctorum patriarcharum monumenta per fenestram, sive ostiolum clathris ferreis occlusum.

Lib. de Locis. Hebr.

113. Atque hactenus de Hebrone dictum breviter esto: quæ Hieronymo teste, *primum Arbee; postea à Chebron, uno filiorum Caleb, sortita vocabulum est.*

Iosu. XIV. 12. & seq.

114. Josuæ tamen liber, *Arbe*, cujus hæc urbs quondam fuit, unum facit de filiis Enakim, sive gigantum. Ipse ita ducem exercitus Josuam compellat: *Da mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus, te quoque audiente. in quo Enakim sunt & urbes magnæ atque munitæ: si fortè sit Dominus mecum, & potuero delere eos, sicut promisit mihi.*

115. *Benedixitq; ei Josua, & tradidit ei Hebron in possessionem. Atq; ex eo fuit Hebron Caleb filio Jephone Cenezæo usq; in præsentem diem: quia secutus est Dominum Deum Israel. Nomen Hebron antè vocabatur Cariath Arbe, Adam maximus ibi inter Enakim situs est.* Hæc sacræ literæ de hac urbis nomine.

Borch. VII. 66. Salign. X. 5.

116. Vallem, quæ est ex adverso Hebronis, perquam amœnam, fertilem & delectabilem esse, iidem scribunt, ut cre-

ut credi propemodum possit, terrenum hoc loco Paradisum olim exstitisse.

117. Pergit viciniam Hebronis ita enarrare Borchardus. *Aspelunca duplici, jactu unius arcus contra Occidentem, est celebris* Ager Damascenus: *in quo fertur Adam formatus fuisse.* Quod tamen alij, ut notum est, ad Damascum Syriæ referunt.

118. Illi tamen non habent nihil quod sequantur. Etenim quum ille primus gentis humanæ parens, è russa humo scribatur à Deo creatus, eam hic loci inprimis excellentem inveniri, idem monachus testis est oculatus. Ita enim ille: *Terram habet rubeam, flexibilem & tractabilem, sicut cera, de qua mecum tuli: similiter & peregrini, aliiq; fideles, loca sancta venerantes.*

Joseph. 1. Antiq. c. III.

Ibidem c. VII. §. 66.

119. Eandem hanc terram à Sarracenis effossam in Ægyptum, Æthiopiam, & Indiam deportari, & pro re valde preciosa vendi, idem est auctor. Mirificam enim huic vim inesse credunt, in prohibendis à corpore deportantium venenis, & vi noxiorum animalium, aliisq; plurimis incommodis. Quæ tamen ille non tam affirmat, quàm affirmari ab aliis ait.

120. Illud visum sibi testatur, exiguum apparere spacium, unde effossa sit illa tam preciosa terra, & quam tot homines quotannis in remotissimas longeque diversas regiones devehant: etsi copiosè satis, quod facilè credas, tanta scilicet neque dubiâ questus spe affulgente. Itaque credi scribit, divinitus locum repleri. Ut olim Hieronymi etiam ævo, de vestigiis pedum Christi in monte Oliveti & creditum, & deprehensum testatur ipse.

Lib. de Locis Hebr.

121. Borchardus hoc quoque addit. *Ab effossione agri Damasceni ad jactum arcus unius contra austrum locus est,*

Gen. IV. Bor. ibid. & Salig.

ubi

iisdem prope verbis. *ubi Cain Abel occidit.* Neq; longè inde speluncam esse memorat sub rupe, XXX. circiter pedes longam, totidemq; latam: in qua Adamus & Eva filium illum suum, ab impio fratre trucidatum, luxisse dicuntur annos centum. Fontem quoque ibi scaturientem ostendi, unde biberint, & lectos lapideos pedum triginta.

Josu. XI. & *seq. cap. aliquot.*

122. Nec longè abfuisse Hebrone videtur *Dabir*, quæ prius vocabatur *Cariathsepher*, id est, civitas literarum, seu, Universitas & academia Palæstinæ: ut interpretatur & explicat verbum Adrichomius. Urbs fuit regia, & permunita, Gigantum & ipsa domicilium, quos urbe captâ inde ejecit Othoniel, frater Calebi, aut fratris filius. Itaque & filiam ejus Axam uxorem, & amœna fructuosaque prædia à socero accepit, virtutis præmia.

Ibid. XV.

Matth. II. *Luc.* I.

123. Sed pergamus reliqua Judææ exsequi. Igitur Damasceno huic agro vicinum faciunt *Desertum Judææ*, in quo Joannem Baptistam educatum volunt, atq; etiam ad pœnitentiam vitæq; sanctitatem omnes, qui certatim ad ipsum confluebant, cohortatum.

1. Sam. XXV.

124. *Carmelus*, etiam mons, in eoque nominis ejusdem ponitur oppidum. Quod Davidis ævo incolebat Nabal. Quem is, turpiter ingratum in se, prætereaque contumeliosum, irâ incensus, prope cum universa familia exstirpasset: ni placasset virum, animosque blanda oratione ac muneribus mitigasset uxor ejus Abigail, prudens ac diserta mulier.

1. Sam. XX.

125. Erat in iisdem hisce regionibus *Desertum Ziph*, ab urbe vicina (etsi plures etiam ejus nominis in hac plaga) itemq; *Desertum Maon*, ab urbe itidem vicina dictum: quibus in locis, alijsque cæcis abditisq; montium specubus,

bus, aut rupibus arduis & inaccessis, (plurimæ autem per omnem hanc regionem erant) exsul diu multumq; latuit David, Saulum insectantem fugitans.

126. Tandem ad meridianam partem Judæ sortem claudebant *montes Seir*, quibus nomen ab Esavo, Isaaci patriarchæ filio natu majore, ille enim hispidus corpore erat ac hirsutus. Qui quòd in montibus hisce, pulsis inde Gigantibus domicilium sibi & suis elegisset, ab ipso nomen traxisse scribuntur.

Gen. XXV. & XXVII.

127. Attingunt extremam partem Maris mortui, ipsamq; adeò ejus linguam. Atq; ut hi montes ab austro; ita montana Judææ ab occasu; tribus Benjamin â septentrione; Mare Mortuum verò ab oriente includebant tribus Judæ territorium.

128. In ipsis Judææ montanis, aut certe ad eorum radices, ponitur *Eleutheropolis*, quam in primariis Judææ urbibus numerari diximus antè, è Caroli Sigonii mente, ejusque verbis. Verùm non nimis antiqua, ut inter Judaicas, videtur, vel ex ipso nomine. Celebris tamen Hieronymi ævo fuit: qui aliorum oppidorum distantias hinc frequenter computat.

Lib. de Loc. Hebr.

CAPVT IV.

De Idumaea & vicinis regionibus.

Quam hactenus percurrimus regionem, iis, quas modò diximus, inclusam terminis, & tribui Juda assignatam, ea *Daroma interior* appellata est, ejusdem Hieronymi tempore. Quæ huic in occasum, inter Montana Judææ, & mare Mediterraneum adjacet regio, tribui Dan & Simeonis assignata, ex adverso illius sita, vocata est *Daroma exterior.*

2. Hanc partem Palæstinæ, aut Idumææ, aut Philistinis annumerandam potissimum statuo. Philistini ad mare; Idumæi in mediterraneis sedes sibi delegerant. De illis aliquanto pòst; de his nunc aliquid dicere conabimur.

Strab. lib. XVI.

3. Igitur *Judaea extrema, teste Strabone, occidentem versus, & qua Casio monti vicina, Idumæi occupant. & lacus. Idumæi autem ipsi, Nabathei sunt. Per seditionem autem inde ejecti, Judæis se adjunxerunt, & eorum leges amplexi sunt*

Adde Plin. V. Nat. Hist. 12. & 13.

4. De sedibus horum ita pergit. *Ad mare Serbonidis majorem occupavere partem, & qua deinceps sunt usq; ad Hierosolymam, mari omnia vicina.*

Gen. XXV. & XXVII.

5. Hanc ab Edom, sive Esavo, Isaaci filio appellatam nemo ignorat, cui sacræ literæ non ignotæ. Edom autem ille dictus est à pulte sive edulio rubri coloris; quo esuriens, & famis impatiens fratri Jacobo jus primogenitorum vendidit, vel quòd eo colore in lucem prodiit.

6. Ve-

6 Verum hæc de re omni satius est Christianum Adrichomium audire, qui diligenter satis hoc vocabulum exposuit. *Edom*, inquit, *Hebraicè, quam Græca* LXX. *interpretum, & Latina interpretatio Idumæam vocant, E literâ in I mutata.*

Theatr. Terræ.Sanct.tribu Juda. nu. 106.

7. *Dicitur etiam AEdom, Seir, Duma, Gobolitis & Hebraice Adomith & Adoma. quod quum significet rubens, fuisſetq; proprium nomen Esau, poſt in regionem ipſius ditionis eſt derivatum, quod Græci in mollius deflexerunt Idumæam dicendo.*

8. Et de natura ejus. *Regio eſt undequaq; munita faſtigiis montium, & in ſciſſuris petrarum ſita. nomen, ut jam diximus, accepit ab Eſau, qui cum ſuis poſteris hanc inhabitavit. quapropter nonnumquam & regio Eſau nuncupatur: unde & una ex undecim Judææ Toparchiis, ordine octava.*

Deut. II.

9. *Ponit autem duplicem* Idumæam *Joſephus, ſuperiorem & inferiorem.* Superiorem *elegit tribus Juda, quæ in longum extenditur, uſq; ad Hieroſolymam: latitudine verò uſq; ad paludem Sodomæ, (lacum Aſphaltitem dicit) conſtituta eſt. In hac ſorte civitates erant Aſcalon & Gaza, quam alio nomine appellabant* PALAESTINAM.

10. *Altera verò Idumæa quam* inferiorem *diximus, ceſſit Simeonis tribui. Et hæc eſt circa AEgyptum, & Arabiæ montem.* Hactenus Adrichomius, qui idem pulcherrimis tabellis æneis hanc, & ceteras Palæſtinæ regiones expreſſit.

11 Regio hæc altis aſperiſque cincta montibus, vaſtas etiam ſolitudines includebat: de quibus paullo pòſt aliquid erit dicendum. Animi quoque gentis feroces, & ad arma atq; ad certamina bellica paratiſſimi. Itaque Judæis multa cum iis bella fuere, à primis fere ejus temporibus.

Joſeph. IV. *bel. Jud.* 6.

12. Et

Num. xx.

12. Etenim, quo tempore, ducibus Mose & Aarone, populum suum Ægyptiâ servitute liberatum ad hujus usque fines deduxisset; atque illi missis legatis humaniter; ac pæne humiliter peterent ab Idumæis, consanguineis suis, uti sibi per eorum ditionem transire sine maleficio liceret; eâ ferociâ atque immanitate gens fuit, ut non modò transitum negaret, sed & armata cognatis suis, prohibitura eos, occurreret.

Deut. II.

13. Hanc tam insignem, tamque indignam, à fratribus suis acceptam injuriam, ne vindicare quidem Israelitis eo tempore licuit, vetante Domino. Igitur deflectentes longo ambitu, præter montem Seir, qua jusserat Deus, iter fecerunt, uti pòst dicetur.

I. *Sam.* XIV. II. *Sam.* VIII.

14. Postea Saulus & David, primi regum Israelis, hanc contumeliam gentis, ulti sunt graviter, populumq; Idumæum subegerunt: qui tamen iterum pòst descivit Jorami temporibus.

II. *Reg.* x. *Joseph.* XIII. *Antiq.* 17. *Casaub. Exerc.* III. *ad Apparatum Cardinalis Baronii. Joseph.* IV. *bel.* 6. & V. *cap.* I.

15. At Joannes Hyrcanus, è posteris Maccabæorum, ita gentem edomuit, ut & ritus Judaicos & circumcisionem admitterent. Itaq; deinceps Judæis annumerari cœperunt: & quasi fratres eorum habiti fuerunt.

16. Postremis Hierosolymorum temporibus, & sub ipsum bellum Judaicum, atque excidium gentis, quatuor ducibus in urbem venerunt amplius XX. Idumæorum millia. Incredibile dictu est, quas turbas hi in ea dederint, immo quot funera, quas strages hominum.

17. Sed jam urbes ejus regionis præcipuas, & loca insigniora videamus breviter: etsi non nimis illustres sunt hujus partis urbes, exceptis maritimis, de quibus non multo pòst agemus. Nunc mediterranea primum oppida lustrabimus.

18. Igi-

18. Igitur in tribu Dan ponitur *Modin*, in monte situm patria Maccabæorum: quorum monumentum marmoreum ibi illustre est, septem pyramidibus è quadrata mole marmoreâ in tantam surgens altitudinem, ut in mari quoque navigantibus sit conspicuum. Simon id memoriæ patris & fratrum excitavit.

I. & II. Maccab. aliquot capit. Joseph. XIII. *Ant. cap.* II. *Borch.* IIX. §. 7.

19. Erat & *Betsemes* Juda, urbs sacerdotalis non longè à mari. In cujus agrum Arcam Domini juvencæ duæ, spretis domi vitulis, ultrò deduxerunt de Accaron. quam rem quum cives ejus urbis curiosius contemplarentur, multa eorum millia occisa fuerunt.

I. *Sam.* VI. *Borch.* VII. 54.

20. *Themnas* item, sive Thamnata in hac regione fuit, ubi Samson leonem discerpsit, cujus herois multa fortia facinora, & humanis majora, in hac regione edita, referunt sacræ literæ. Sepulchrum quoque ejus hîc statuitur, prope *Esthaol*, ubi & natus scribitur.

Jud. XIV. & XV.

21. Ad eam est torrens *Sorec*, ad quem generosissimæ vites nascebantur. Dalila hîc habitavit, quam amabat Samson. hæc blanditiis & fictis lacrimis tandem expiscata est, quænam roboris tanti causa foret, eumq; Philistinis hostibus ita prodidit. in quorum potestatem quum venisset, oculis privatus est. tandemq; ultus injuriam & dolorem suum, multa eorum millia secum in perniciem traxit.

Jud. XVI.

22. Propinquus eidem torrenti erat alius rivulus, *Nehel escol*, hoc est, torrens & vallis botri: ad quem exploratores, quos Moses è deserto Paran in terram Chanaan amandarat, botrum miræ magnitudinis absciderunt, & de pertica suspensum, cum aliis terræ fructibus, ad Mosem, specimen fertilitatis hujus terræ detulerunt.

Num. XIII. *Deut.* I.

23. Atq; ista, quæ diximus, loca fuerunt in tribu

Num. xx. & *seq.* Dan. Quæ sequuntur in tribu Simeon. Præter alia, ad torrentem *Besor* erat *Gerara*, urbs regia Philistinorum, ubi Abrahamus aliquandiu vixit, & Isaacus natus est: qui & hinc cum patre profectus est itinere tridui ad montem Moriam, Dei mandato immolandus.

Gen. XIII. 21. & *seq.* 24. Hic tamen divinitus liberatus his ipsis locis domicilium suum habuit, & puteos aliquot effodit. *Bersabee* quoque, id est, puteus juramenti, cujus toties mentio fit in historia patriarcharum, ad hunc torrentem fuit.

Genes. XXI. 25. Huic urbi, quæ terminat Israelitarum regionem, vicinum erat *desertum*, ab ea dictum. Quo fugit *Agar* ancilla Saræ, cum filio Ismaele domo pulsa. *Fons* ei tum divinitus ostensus est, & mandata ad ipsius & filii salutem pertinentia, data.

1. *Reg.* XIX. 26. In eandem solitudinem fugit Elias, minas Jezabelis declinans. Angelus Domini eum hîc dormientem sub junipero cibum capere appositum jubet. quo facto XL. dierum iter emensus est, ut nihil interea gustaret.

Hieron. Epitaphio Paulæ. Adrichom. è Ludovico Romano. Lib. III *Histor. eccles. cap.* 37. 27. Ponitur in his locis & *Desertum arenosum*, locus periculosus iter istac facientibus, cùm propter aquarum inopiam, tùm verò cumulos, & quasi montes arenarum, quibus viatores non rarò opprimuntur: qui, tanquam in mari navigantes, ad siderum fulgorem cursus dirigere coguntur. Judæum hîc quendam olim arenâ, ob aquæ defectum, esse baptisatum refert Nicephorus.

1. *Sam.* XXVII. & XXX. 28. Multæ sunt & aliæ hujus partis urbes, parùm pleræq; illustres. In iis est & *Siceleg*, quam Achis quondam Philistæus Davidi, stipendia tum in exercitu ipsius merenti, donavit. Eam Amalecitæ aliquando absente Davi-

Davide captam diripuerunt, atq; inflammarunt. quos ultus tamen probe est, nec opinantibus superveniens David. Sita prope in media regione erat.

29. Ultra est *Bersabee* de qua diximus jam antè. Huuc Judææ terminum ad austrum statuebant, & solitudines illas, quas diximus, cum torrente sive *fluvio AEgypti.* Qui è solitudine Cedar descendens, in mare Mediterraneum prope Rhinocorura urbem decurrebat. Verumde his pluscula etiam dicenda, & de maritimis hujus oræ urbibus.

II. Sam. xxiv & alibi sæpe.

CAPUT. V.

De Urbibus Maritimis Philistæorum, & aliis ad limitem usq; AEgypti.

PALÆSTINA propriè dicta est ea terræ sanctæ pars, quæ ad mare Mediterraneum sita urbes aliquot illustres, & reges potentes olim habuit: quod antè etiam indicatum. Populus Philistini sive Philistæi, aut Philistiim appellati, corruptè Palæstini. Græcis, ut & Sulpitio Severo, ἀλλόφυλοι, id est peregrini. Ita gentes vocabant à religione & ritibus Judæorum aversas.

Hieron. in cap. xxv. Ezechiel.

2. Hieronymus Philistiim prius Chasloim appellatos ait, posteros Cham, quos nos, inquit, corruptè Palæstinos dicimus.

Quæstin. Genesin.

3. Fines ejus à Castro peregrinorum seu Dor, aut Cæsarea Palæstinæ, vel turre Stratonis, usque ad Gazam,

Descript. in tribus Dan.n. 46. Lib. Jud. & Samuel. priori.

aut torrentem Ægypti, extendit Adrichomius, aitque Enakim inter eos, id est gigantes fuisse robustissimos.

4. Hos gravia bella olim & diuturna cum Israelitis gessisse, eosque domitos tributarios etiam satis diu, per annos nempe centum quinquaginta illis factos idem refert, & notum est è sacris literis.

Jud. XIV, XV, & XVI,

5. Cladibus tamen eos crebris & non levibus afflixit princeps gentis, & fortissimus heros Samson: pòst & Samuel propheta, & gubernator populi cum primis salutaris. Saulo etiam, primo Judæorum regi, bella cum iis multa fuerunt; in quibus cum filiis tandem occubuit.

II. Sam. V. & IIX.

6. Postremò David, rex sanctissimus idem & victoriis plurimis inclitus, virtute sua ac felicitate graves illos & prope domesticos, eoq; assiduos hostes, ope divinâ adjutus edomuit, sibique vectigales fecit.

Hieronym. multis locis, è lib. Josue. XIII *Adde eund. in Sophoniæ c.* II. *& in* I. *c. Amos.*

7. *Urbes* eorum celebratæ, Hieron. teste, fuerunt *quinque:* Geth, Gaza, Azotus, Accaron & Ascalon: de quibus, ordine eo conservato, quo ipsæ sitæ sunt ad littus maris mediterranei; agemus.

I. *Sam.* XVII. *&* XXI,

8. Prima earum Geth, in monte non longè à mari erat ad occidentem, Hierosolyma proficiscentibus, sita. Hæc Goliathum illum, quem fundâ prostravit adolescentulus David, aliosque id genus immanes viros edidit. Ab hac urbe regia, Philistinorum terram incipere tradunt. Distat brevi intervallo á *Joppe* urbe maritima nobilissima in meridiem.

Adrichom.

Comment. in Micheæ c. I. *item q; de Loc. Hebr.*

9. *Geth,* inquit Hieronymus, *ut Regnorum quoque testatur historia, una est de quinque urbibus Palæstinæ vicina Judææ confinio, & de Eleutheropoli euntibus Gazam, nunc usque vicus vel maximus: unde fuit & Goliath ille Gethæus, quem David occidit in prælio.*

10. Mo-

10. Monachus noster, præter alia paucula, *A Joppe,* inquit, *quatuor leucis distat Geth, una ex urbibus Philistiim. Fuit non longè à mari sita; nunc quidem destructa est, & commutata in exiguum Casale, dictum Ibdin, in colle situm, Hinc proprie incipit regio Philistiim.* — Cap. VIII. §. 6.

11. In hanc urbem quum deducta fuisset Arca Domini, ex hoste capta, furore & amentia perciti cives fuerunt, & præterea plagis pudendis affecti. — I. Sam. v.

12. Secunda Philistinorum urbs primaria erat *Accaron*, quæ & Acron, sive Acharon dicta. Hanc, uti & vicinas plures, pugnando cepére Israelitæ duce Juda, quum primùm in possessionem terræ Chanaan à Deo mitterentur. — Jud. I. vers. 17. & seq.

13. Urbis hujus incolæ, quum missam à Gethæis ad se Arcam Domini viderent, magnopere pertimuerunt. *Exclamaverunt enim Accaronitæ dicentes, Adduxerunt ad nos Arcam Dei Israel, ut interficiat nos, & populum nostrum.* — I. Sam. v.

14. *Miserunt itaque & congregaverunt omnes satrapas Philistinorum: qui dixerunt, Dimittite Arcam Dei Israel, & revertatur in locum suum, ut non interficiat nos cum populo nostro. Fiebat enim pavor mortis in singulis urbibus, & gravissima valde manus Dei.*

15. Quum Davidi filiæ suæ matrimonium obtulisset rex Saulus, etsi fraudulenter, ea conditione, ut centum Philistinorum sibi præputia afferret, *abiit is in Accaron cum viris, qui cum eo erant. Et percussit ex Philistiim ducentos viros, & attulit eorum præputia; & annumeravit ea regi, ut esset gener ei, dedit itaq; Saul ei Michol filiam suam uxorem.* — I. Sam. XIIX.

16. In urbe hac idolum Baal Sebub gentes superstitiosæ colebant. Ad quem & Ochozias rex Israel consultum de valetudine misit. Verùm minimè gratum ei oracu- — II. Reg. I.

raculum redditur, internuncio Elia.

Lib. de Locis. Hebr. 17. *Accaron*, inquit Hieronymus, *in tribu Dan, sive, ut ego arbitror, in tribu Juda, ad lævam Chananæorum, urbs una de quinque olim satrapiis Palæstinæ: & decreta quidem est tribui Judæ, nec tamen tenta ab ea: quia habitatores pristinos nequivit expellere.*

18. *Sed & usque hodie grandis vicus Judæorum Accaron dicitur, inter Azotum & Jamniam, ad Orientem respiciens. Quidam putant Accaron turrim Stratonis, postea Cæsaream nuncupatam.*

Cap. IIX. §. 8. 19. Quidquid tandem & qualiscunque olim fuerit, hodie destructa est, Borchardo monacho teste, versa in exiguum Casale, quod & Accaron nuncupatur.

20. Tertia Palæstinarum urbium *Azotus*, sive *Asdot*, una de præcipuis quinque urbibus, ipsa etiam non longè à mari submota. Eam quoque Israelitæ, duce Judâ, ceperunt.

Judic. I.

21. Celebris erat fano idoli Dagon, quod piscis capite scribitur horribile fuisse. Hoc caput, adeoq; hæc statua, fractis membris olim pronum jacuit in delubro, quum Arca Domini eo illata fuisset, idq; plus semel, non sine stupore gentium harum accidit.

1. Sam. V.

1. Macc. IX. 22. Judas Maccabæus, fortissimus Judæorum dux, postea quam Bacchidem Demetrii ducem ejusque ingentes copias exigua manu fudisset, ac fugientes Azotum usq; persequutus esset, circumventus hostium multitudine hîc occubuit.

1. Mac. X. Joseph. XIII. 8. 23. Postea frater ejus Jonathan, suffectus ipsi, egregiâ pugnâ Demetrii duces victos fugientesque huc compulit. Ipsam quoque urbem direptam antè, incendit, cum templo Dagonis, & quotquot eo confugerant, concre-

cremavit. Quæ res adeò grata fuit Alexandro Syriæ regi, ut Jonathæ, præter alia splendida virtutis præmia, urbem etiam Accaronem donarit, cum finitima regione.

24. In hanc urbem Spiritus Domini raptum transtulit Philippum, Christi Servatoris nostri Apostolum, postea quàm is Eunuchum reginæ Candacis, viam salutis æternæ docuisset, & cupidum baptisavisset. *Actor.* IIX.

25. Eandem multo etiam antè ceperat Thartam, quum misisset eum Sargon, rex Assyriorum, ut Esaias docet, ad eumque B. Hieronymus duobus locis. *Esai.* XX. & *Hieron. lib.* V. & VII.

26. Ejusdem patris sancti ævo etiam supererat hæc urbs. Sic enim scribit alibi: *Asdod in sorte tribus Judæ, quæ nunc vocatur Azotus, in qua derelicti sunt gigantes, qui appellabantur Enakim: & est usq; hodie insigne oppidum Palæstinæ.* *Lib. de Loc. Hebr.*

27. Straboni etiam noti erant Azotii, cum Judæis, Idumæis, & Gazæis, permixti Phœnicibus, ut quidam olim censuerunt, id quod antè quoq; indicatum est. Et cum aliis in hoc littore urbibus Azotus ei memoratur. Hodie est vile Casale, sicut Accaron. *Lib.* XVI. *Mela lib.* I. *c.* 10. *Borch.* VIII. §. 9. *Jud.* I. 18. *Joseph.* V. *Antiq. c.* 2.

28. Quarta urbium Philistinarum fuit *Ascalon*, ad ipsum maris portum semicirculari figurâ exstructa DCCXX. stadiis distans Hierosolymis, ut Egesippo placuit. Nobilis olim & potens. In potestatem tamen Israelitarum venit, cum vicinis urbibus. *Lib.* III. *c.* 4.

29. Samson huc irrupit, & XXX. viris manu sua interfectis, vestes eorum ex pacto dedit iis, qui ænigma ab se propositum in nuptiis suis solverant. *Jud.* XIV. *Joseph.* V. *c.* 10.

30. Varia urbis hujus fortuna fuit. Modò enim excisa, modò instaurata est. quod quidem ita futurum prædixerant sancti vates. Graviter eam quoque mulctavit olim Josephus Tobiæ filius. *Jerem.* XXV. & XLV. *Soph.* II. *Amos.* I. & *ad ea loca Hier. Joseph.* XII. *Antiq. c.* 4.

 31. Neq;

Diodor. Sicul lib. II. *cap.* 4.

31. Neque verò ulla re clarior ferme est Ascalon, quàm alumnis. *Semiramis* enim hanc patriam scribitur habuisse: fœmina illa, quæ rerum gestarum magnitudine summos etiam viros anteivit, de qua pænè incredibilia sunt literis prodita.

1. *de nat. Deor.* 1. *de legibus. Lucullo & alibi. Plut. Cicer. Strabo.* XVI.

32. Erat & *Antiochus* Ascalonita, ille Varronis & Ciceronis in philosophia doctor, Academicæ sectæ ita deditus, ut in Stoicam magis inclinare videretur; de quo non paucis Cicero locis mentionem perhonorificam facit: itemque Plutarchus & Strabo.

33. *Herodes* etiam, cognomento Magnus ejuspue parens *Antipater*, hanc patriam habuerunt. Itaq; & ille frequenter Ascalonita usurpatur.

Lib. I. *Diod. Sicul,* II. *c.* 4.

34. Fuerat olim & Veneris Uraniæ templum antiquissimum in hac urbe, quod à Scytharum quibusdam spoliatum est, ut Herodotus narrat. Ab hac æde Veneris, illæ, quæ celeberrimæ eidem alibi sacratæ, in Cypro, & apud Cythera, originem suam habere, ipsi perhibebant Cyprii ac Phœnices. An hæc sit Derceto Diodori, considerandum.

De Loc. Hebr. adde eundem in Amos c. I.

35. Hieronymo *Ascalon est urbs nobilis Palæstinæ, quæ & ipsa antiquitus una fuit de quinq; satrapiis Philistinorum: Separata quidem tribui Judæ per sortem; tamen non retenta ab ea: quia habitatores ejus superare non potuit.*

Lib. XVI. *Mela. c.* II.

36. Straboni Ascalonitarum regio cæpis inprimis abundat; oppidum verò exiguum est, πόλισμα μικρόν. Mela igitur falsus, cui Ascalon non minor Gazâ. Imminuta videtur eo tempore fuisse dignitas ejus, & potentia, quam antè obtinuerat.

Cap. VIII. §. II. *ex Amos, c.* I.

37. Monachus noster ipse quoque agnoscit, hac in urbe principatum quondam Philistiim videri posse fuisse, Ait

se. Ait quatuor ab Azoto leucis distare ad Austrum. Et, *usq; hodie*, inquit, *permanet in littore maris sita, figuram habens semicircularem: munita valde, ex qua nunc pendet totum robur Sarracenorum.*

38. Quincta urbium Philistinarum erat *Gaza*, quæ & Gazera, non procul à mari distans, facilè princeps inter omnes, potentiâ & auctoritate. In hac quoque filii Enakim sedes olim habuere. Expugnata tamen fuit à Calebo.

Jud. I.

39. Samson in hac urbe quondam conclusus, insidiantes sibi non dolo elusit, sed virtute & robore inaudito per portas erupit, quum revulsas earum fores in humeros, cum ipsis postibus & vectibus impositas, in montem vicinum, Hebronem versus deportasset.

Judic. XVI. *Joseph.* V. *Antiq.* 10.

40. Idem heros postea hîc deceptus astutiâ mulierculæ, quam deperire cœperat, proditus Philistinis ab iisque captus, & ludibrio est habitus. Oculis enim erutis molere eum in carcere, atque epulantibus ludos facere compulerunt. Qui tamen eis magno tandem steterunt, Heros enim ille, in publica gentis festivitate, quum productus item ad ludos fuisset, exorato cœlesti numine, ut hostes ulcisci suos, & injuriam erepti luminis vindicare liceret, correptis subversisque duabus columnis, quibus domus illa nitebatur, hostium tria millia in perniciem secum traxit, edito illo tam illustri facinore, extremo virtutis opere.

41. Huic urbi, uti & ceteris Philistinis, malum Deus minitatur propter peccata. Ita enim est apud prophetam: *Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Gazæ, & super quatuor non convertam eam: eo quod transtulerint captivitatem perfectam, ut concluderent eam in Idumæa. Et mittam*

Amos cap. I. *v.* 6. *& seq. in eumq; Hieronymus.*

ignem

ignem in murum Gaza, & devorabit ades ejus. Et disperdam habitatorem de Azoto, & tenentem sceptrum de Ascalone: & convertam manum meam super Accaron, & peribunt reliqui Philistinorum, dicit Dominus.

Q. Curt. IV. *Arrian. l.* II. *Joseph.* XI. *Antiq.* 8.

42. Ac de reliquarum urbium fato jam dictum. Gazæ verò non frustra cecinisse vatem calamitates imminentes, historia testis est. Etenim Alexander, ille Macedo, ob virtutem & rerum gestarum amplitudinem Magni cognomento donatus, victo jam uno alteroque prælio rege Persarum Dario, expugnataque Tyro, hanc quoque urbem & obsedit, & magno exercitus ac suo labore tandem cepit, direptamq; incendit.

Joseph. XIII. *Antiq.* 21.

43. In eandem postea inclementius etiam consuluit Alexander, Aristobuli, (ejus qui se primus regem Judæorum appellare, post reditum à Babylone ausus est,) filius. Sævitum enim tum non in promiscuam tantum multitudinem est, è qua multi sibi etiam manus attulerunt; sed & senatores numero quingentos, (unde & magnitudinem urbis æstimes) qui in Apollinis fanum confugerant, quum senatus eo die habitus esset, quo urbs capta. Quæ tum quoque diruta est.

Lib. I. *cap.* II.

44. Nomen sortita scribitur à Persicis opibus. Ita enim Mela; *In Palæstina est ingens & munita admodum Gaza, (sic Persæ ærarium vocant) & inde nomen est, quòd, quum Cambyses armis AEgyptum peteret, huc belli & opes & pecuniam intulerat.*

45. Strabo in urbibus Palæstinæ hujus quoque mentionem facit, eamque VII. stadiis à portu Gazæorum dissitam scribit, olim quidem illustrem, postea ab Alexandro dirutam. Itaque, quod in ruderibus jacuerit Gaza vetus, quidam ad eam referunt illud, quod est in Actis

Aposto-

Apostolorum. *Angelus Domini locutus est ad Philippum, dicens, Surge & perge ad meridiem, in viam ducentem Hierosolymis Gazam, quae est deserta.* Act. IIX. 26.

46. *Sed hoc de ea urbe accipi video, quae ab Alexandro, Philippi filio eversa. Novam autem exstructam in vicino, non tamen eodem prorsus solo, postea iterum effloruisse: quam tamen & ipsam excidit Judaeorum rex Alexander. Verum & haec quasi de cineribus suis iterum emersit. Augusti enim temporibus, mortuo Herode Magno, Gazam, Gadara & Hippon, Graecanici instituti urbes; Caesar, ob id separatas à regni Judaici terminis, Syriae contribuit. *Hieron de loc. Hebr.* *Joseph.* XVII. *cap.* 13.

47. Constantini Magni temporibus, quum religionem Christianam amplexa fuisset, *Constantia* dicta est, de nomine Constantiae, quae soror erat Imperatoris. *Euseb.* IV. *de vita Constantini cap.* 38.

48. Hodie urbs magna, & auctoritate vel prima Syriae, vel à prima certè proxima esse scribitur, duplo major Hierosolymis: communiter Gazera, Syris Ayan dicta, ut refert Adrichomius è Wilhelmo Tyrio.

49. Addit idem: *Est ab ea, usque ad desertum arenosum planities: iter hinc, usque ad montem Sinai, est* XII. *vel* XIII. *dierum.* De hoc deserto, & via ad mare usq; rubrum, locus quoq; Strabonis notatu dignus. Camelis id ait esse conficiendum per loca deserta & arenosa: in quibus etiam magna sit multitudo serpentum. *Lib.* XVI.

50. Atque hic ferme terminus est Judaeae, aut, si ita mavis, Idumaeae. Nisi fortè Desertum quoq; arenosum annumerare ei placeat, omneque id spacium, quod inter duos amnes, sive torrentes, interjectum, *Besor*, inquam, & illum, quem Ægypti sacrae literae vocant. *Adrichom è Ludovico Romano.*

51. Ad torrentem Besor, supra Gazam, in orientem *Gen.* XX. & *seq.*

sita erant oppida, de quibus jam ante dictum, Bersabee & Gerara: itemq; Nemus Abrahami, & Putei ab Isaaco effossi. In Geraris sanctorum patriarcharum vestigia etiam posteriori ævo studiosè homines religiosi adire ac visere sunt soliti.

Hieron de loc Hebr.

52. Ultra eum amnem erat & *Puteus viventis ac videntis, & fons Agar*, & solitudo Bersabee, cui contiguæ solitudines aliæ duæ, *Sur* & *Cedar*. Illa Ægyptum attingens; hæc Arabiam, quam Ismaelitæ olim tenuere; postea & in hunc diem Sarraceni appellati. Agarenorum enim nomen repudiarunt, dicíq; non ab Agar ancilla, sed à Sara conjuge Abrahami voluerunt.

Gen. XVI. XXIV. *Hier. de loc. Hebr.*

53. In littore tamen hoc urbes non incelebres fuerunt *Anthedon*, *Raphia*, & *Rhinocorura*, proficiscentibus è Judæa in Ægyptum ad dexteram sitæ. quod iter, incommodum sanè, & periculosum, non modo patriarchæ olim, emensi sunt sæpius, sed ipse etiam servator humani generis Christus, cum matre virgine, & Josepho.

Strabo. lib. XVI. *Matth.* II.

54. Apud *Raphiam*, testibus Strabone & Polybio, Ptolemæus quartus cum Antiocho magno depugnavit, victoriaque potitus est. Eandem urbem, & vicinam *Anthedonem* Alexander, rex Judæorum, expugnavit. Instauratam verò & hanc, & alias plures urbes jussu Gabinii, Josephus auctor est. Augustus eam, Gazam, Joppen, aliasque maritimas Herodi, victo jam Actiacâ pugnâ Antonio, donavit ob egregia ejus in se merita. Ab hoc Anthedon *Agrippias* nominata est.

Strab. ibid. Polyb. lib. V. *Joseph.* XIII. *Antiq.* 21. *Plin.* V. c. 13. XIV. *Antiq.* 10. I. *bel.* 15.

55. *Rhinocorura*, aut, ut alii malunt, *Rhinocoluræ*, apud AEgypti torrentem sita, & quondam AEgypto annumerata est. A mutilatis habitatorum naribus urbs hoc nominis habere traditur.

56. Stra-

56. Straboni, *post Gazam & Raphiam sunt Rhinocolura, ab iis dicta, qui naribus truncati eo fuere translati. Etenim AEthiopum quidam AEgyptum invadens, non nece, sed nasi mutilatione maleficia coërcens, eos ibi collocavit, ut propter oris deformitatem redire domum non auderent.* Idem & Diodorus tradit, qui regem illum Actisanum vocat, & caussam tam severæ castigationis indicat, gentis latrocinia, quæ ita compescere is studuerit.

Lib. XVI.

Lib. I. *c.* 60.

57. Seneca Persam fuisse vult, ejusq; iracundiam accusat haud obscurè. *Rex Persarum*, inquit, *totius populi nares recidit in Syria. inde Rhinocolura loci nomen est. Pepercisse illum judicas, quod non tota capita præcidit? novo genere pœnæ delectatus est.*

III. *de Ira cap.* 20.

58. In hoc scriptorum dissensu & illud observandum, quod urbem hanc alii Syriæ, alii AEgypto attribuunt. Omnino fuit in finibus AEgypti & Idumææ, sive Palæstinæ, quæ Syriæ partes habitæ, ut jam ante diximus.

Vide Hieron. Comment. lib IIX. *in* XXIIX. *cap. Esai. &* XIV. *Com. in Ezech. c.* XLVII.

59. Verùm, quum ad AEgypti fines jam perventum, in qua & sancti olim Patres, admirandi ac planè divini viri, diu multumque commorati, & ipse generis humani Servator, iram & sanguinaria Herodis consilia fugiens, aliquamdiu delituit; nunc & de hac regione, & de itinere ex eâ per Arabiæ partem in Palæstinam paucula addemus.

CAPUT VI.

Quædam de Ægypto, Mari Rubro, Arabia, & itinere populi Israelitici in terram promissam.

Strabo lib. xvi. & Joseph. 1. bel. cap. 15. & v. ult.

ITer è Palæstina, atque ab urbe Gaza in Ægyptum, non sanè commodum, sed periculis plenum fuisse jam diximus; tùm ob arenarum cumulos, huc illuc à ventis agitatos, & aquarum penuriam; tum verò ob incursiones latronum, quæ hisce in locis ferè assiduæ.

Strabo ibidē. Adde Plutarchum Pompeio. & alios.

2. Erat verò in hoc spacio *Casius mons*, De quo hæc prodidit Strabo. *Casius mons, aggeribus arenarum similis in mare procurrit, ipse aquarum inops. In eo Magni Pompeji corpus jacet, & Jovis Casii templum est: nec procul inde Magnus jugulatus est dolo AEgyptiorum.*

v. Nat. hist. cap. 13.

3. Præter hunc montem, & loca iam dicta, via in Ægyptum è Palæstina ducit. Ulterius est *Sirbonis lacus*, à quo Idumæam orditur Plinius. *Mox*, inquit, *Idumæa incipit, & Palæstina, ab emersu Sirbonis lacus; quem quidam* CL. *mill. passuum circuitu tradidere: Herodotus Casio monti applicuit. nunc est palus modica.*

Lib. xvi.

4. Strabo lacum hunc multo copiosius describit, & prope talem ejus naturam facit, qualem Maris Mortui esse jam ante diximus, verbis plurium scriptorum, nam & bitumen egerere, & aquam habere gravissimam tradit, ut urinatores altè in eum descendere nequeant. Favillam item copiosam efflare, fumosam, & quæ visum fallat. æri,

ar-

argento, ac nitidis omnibus rebus præterquam auro, rubiginem inducere.

5. Multa idem de natura bituminis refert, cognitione digna. Magnum item esse lacum: quippe cujus ambitum nonnulli ad mille stadia extendant. Verùm de hisce pluribus nunc agere per institutum nobis non licet.

6. Ulterius in hoc littore, ad ostium Nili extremum, Asiam versus, est *Pelusium*, urbs nobilis olim & munita: unde & Ægypti robur à Propheta quondam appellata est. Ab ea vicinum ostium Pelusiacum dictum, quod Judææ sive Palæstinæ proximum: & totum regnum Ægypti hinc interdum appellationem trahit.

Jerem xxx. *in eumq; locum Hieron.*

7. Quidam hanc urbem *Damiatam* recentiorem esse volunt. Alii hanc ad proximum ostium statuunt, fortè rectius.

8. Pelusium olim quum obsedisset Senacherib, audito regis Æthiopum adventu cum maximis copiis, inde soluta obsidione recessit trepidus. Antipater multo post tempore, Herodis Pater, eam expugnavit. Christiani etiam, quum Palæstinam obtinerent, ad hanc urbem res sæpe magnas gesserunt.

II. *Reg.* XIX. *Jes* XXXVII. *Joseph.* x. *Antiq.* I. & XIV *cap.* 14.

9. Verùm hæc exponere diligentius non nostri est instituti. Illud indicandum, *Nilum* hic aliquot *ostiis* in mare effundi. *Septem* ea plerique faciunt; Canopicum, Bolbiticum, Sebenniticum, Mendesium, Pathmiticum, Tanicum, Pelusiacum.

Mela. I. *cap.* 9.

10. Hic fluvius, ignotis prope fontibus ortus in ultimis Africæ oris, ultra Æthiopiam, longissimo tractu per Ægyptum in mare descendens, omnem eam regionem inundare quotannis & fœcundare solet. Itaque pluviis AEgyptum facile carere ajunt.

Idem Mela ibidem copiosè.

11. Quæ pars Ægypti, ab eo ſpacio, ubi fluvius ſe in alveos aliquot ſpargit, ad mare uſque, inter oſtia ſeptem interjacet, *Delta* appellatur, à Græcæ literæ figura.

Plin. v. c. 9.

12. Plinii unius hac de re locum unum ſufficiat nunc huic opuſculo inſeruiſſe. In Manuductione Geographica plenius de Ægypto, & nobiliſſimo fluvio Nilo, favente Deo, perſcribemus. Ille igitur, *Proxima*, inquit, *Africæ incolitur Ægyptus, introrſus ad meridiem recedens, donec à tergo prætendantur AEthiopes.*

13. *Inferiorem ejus partem* Nilus, *dextra lævaq; diviſus, amplexu ſuo determinat: Canopico oſtio ab Africa; ab Aſia Peluſiaco CLXX. M. paſſuum intervallo. Quam ob cauſſam inter inſulas quidam AEgyptum retulêre, ita ſe findente Nilo, ut triquetram terræ figuram efficiat. Ideo multi, Græcæ literæ vocabulo, Delta appellavêre AEgyptum.*

14. *Menſura ab unitate alvei, unde ſe primùm findit in latera, ad Canopicum oſtium CXLVI. M. ad Peluſiacum CCLVI. M. eſt. Summa pars contermina AEthiopiæ*, Thebæis *vocatur. Dividitur in præfecturas oppidorum: quas* Nomos *vocant.* Et ſtatim duodecim iſtas enumerat Nomos.

Plut. Alexã. Q. Curt. lib. IV.

15. Trans Canopicum oſtium ad lacum Mareotidem ædificata erat illa toto orbe celeberrima urbs *Alexandria*, de nomine conditoris ſui, magni Alexandri ita dicta: qui pulcherrimo eam loco, & fœcundisſimo ſtatuit, eodemque permunito. Undique enim aut mari, aut fluvio aut lacu circumfuſa erat. Copioſa eadem fuit, & ampla cum primis. Africæ contermina Melæ.

De ea Mel, II cap. 7. Plinius aliquot locis in primis lib. XXXVI. c. 12.

16. *Portum* habebat pulcherrimum & ampliſſimum, eundemq; tutiſſimum ab hoſtili incurſu. *Pharus* ei erat vicina inſula, & in ea turris in magnam ſurgens altitudinem, ut per CCC. ſtadia ignis in vertice ejus excitatus, navi-

navigantibus in mari præluceret, cursumque dirigeret.

17. Ab hac insula Pharii reges aut tyranni pro Ægyptiis sæpe dicuntur. In Alexandria enim sedes suas ac domicilia fixerant Ptolemæi, id est AEgypti post Alexandrum reges.

18. Fuit & *Schola* Alexandrina olim celebris: & *Bibliotheca*. de quibus suo tempore dicemus uberius. *Ecclesiam* post Christi in cœlos adscensum ibi primus fundavit *Marcus* Evangelista. Post quem martyrii donatum coronâ, multos præstantes doctores habuit, Athanasium, Cyrillum, Origenem, Didymum, cui operam D. Hieronymus dedit. Floruére etiam ibi Clemens & Pantænus, atq; ante eos Philo, ille sapiens vir & disertus, atq; alter Plato quodammodo etiam olim creditus.

Strab. XVII. *Senec. de Tranq. anim. c.* IX. *& alii. Euseb.* II. *historEccl.* XVI *& sæpe alibi.*

19. Antè quàm Alexander eam excitaret, satis longo tempore suis oppressa ruderibus jacuerat. Sennacherib enim, rex Chaldæus, eam exciderat. quam cladem prædixerant etiam antè sancti vates, quibus *No* dicitur hæc urbs: quæ inter celeberrimas AEgypti non injuriâ refertur: quarum XX. millia, Amasi regnante exstitisse scribit Mela.

Jere. XLVI. *Ezech.* XXX. *Nahum.* III. *& in eos Hieronym.*

20. In hac regione peregrinati olim sunt, ut notum est, magni viri, Abrahamus, & Jacobus, cum filiis ac posteris suis. Atq; ille quidem Ægyptiis cùm alias artes, tùm veram de Deo sententiam communicavit: unde porrò ad Græcos propagatæ sunt.

21. Auctor ejus rei satis locuples Josephus, scriptor non minus candidus & prudens, quam disertus: etsi quidam, ob hallucinationes fortè leviculas, iniquiores viro de antiquitatibus suæ gentis optimè promerito, sese præbent, & petulantibus linguis, aut calamis peracerbis,

bis, ne dicam venenatis, innocentem flagellant.

Lib. 1. Ant. cap. 9.

22 Regem ait divinitus territum afflictumque, uxorem Saram Abrahamo restituisse, monitu Sacerdotum. Jungere enim eam sibi matrimonio rex voluerat, sororem viri ejus credens, ut ipse dictitaverat, mulieremque subservire sibi jusserat, ne ob ejus formam periret.

E versione Gelenii. nec enim melior hactenus edita.

23. Ei igitur quum reddita uxore, additisque muneribus satisfaceret rex Pharao,(ita enim illa tempestate vocati sunt) insuper *fecit potestatem congrediendi cum praestantissimo quoq; AEgyptiorum ac doctissimo. quo factum est, ut virtutis nomine in maximam existimationem veniret.*

24. *Nam quum ea gens in diversos ritus & opiniones scinderetur, & per mutuum contemtum atq; insectationem, infensis inter se animis ageret, collisos inter se eorum de religione sermones, & à seipsis confutatos, vanissimos esse, nihilque prorsus veritatis habere declaravit.*

25. *Ob has dissertationes in precio habitus, ut qui magnam tam intelligendi, quam eloquendi docendique facultatem prae se ferret, & Numerorum scientiam, & Siderum benignè iis communicavit. Nam ante Abrahami ad se adventum, AEgyptij rudes erant hujusmodi disciplinarum. quae à Chaldais ad AEgyptios profecta, hinc ad Gracos tandem pervenerunt.*

26. Hactenus Josephus, ut opinor, verissime. In AEgyptum enim sapientiae nomine profecti sunt olim è Graecia viri sapientiae opinione celeberrimi, Solon, Pythagoras, Plato, & alii. non facturi, absq; dubio, nisi raram quandam atque eximiam, & domi non sanè obviam doctrinam ibi reperirent.

27. Artium igitur & sapientiae possessionem AEgyptii debebant Hebraeis, Abrahamo, Jacobi ejusque familiae;

liæ; in primisque Josepho: quem scholas per AEgyptum sapientiæ aperuisse accepimus. In illorum autem familiis versatæ fuerant jam à primo ferme orbis conditi primordio. Illi enim artes paullatim invenerunt & excoluerunt ab Adami temporibus: ut non injuria versiculus ille, sive Sibyllæ, sive cujusvis auctoris, natus sit:

Joseph. 1. Antiq. 3.

Μοῦνοι χαλδαῖοι σοφίαν λάχον, ἠδ' ἄρ' Ἑβραῖοι.

Apud Lactãt

28. Malam verò gratiam pro isto, non sanè vulgari merito, aliisque genti Hebræorum AEgyptii retulerūnt. Postea enim quàm Josephi beneficia in oblivionem venissent, ac Hebræorum incrementis invidere cœpissent, omni eos ratione opprimere instituerunt.

Joseph. 11. Antiq cap. 5.

29. *Nam & flumen*, inquit Josephus, *in multas fossas diducere sunt jussi, & mœnia exædificare, & aggeres exstruere, quibus inundationes fluminis arcerentur. Pyramidum etiam insanis substructionibus vexabant gentem nostram, cogendo varias artes ediscere, & laboribus ferendis adsuescere. quod* & sacræ literæ non obscuræ indicant.

Exod. 1.

Actor. VII. v. 19.

30. Fraudibus enim & dolis inauditis in populum Hebræum grassari cœpit rex impius, & sobolem masculam omnem exstinguere parabat. οὗτος κατασοφισάμενος τὸ γένος ἡμῶν, ἐκάκωσε τοὺς πατέρας ἡμῶν, τοῦ ποιεῖν ἔκθετα τὰ βρέφη αὐτῶν, εἰς τὸ μὴ ζωογονεῖσθαι· ut Stephanus præclarè loquebatur, quum in concilio procerum Hierosolymis caussam suam, & veritatis intrepidè ageret.

31. Frustra autem impius ille regis & AEgyptiorum fuit conatus, & humana vis omnis ac dolus facile cessit divinis consiliis. Natus enim circa id tempus Moses, divinitus conservatus, adeoque in regia, magno studio, in spem regni educatus, ἐπαιδεύθη πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων.

Actor. VII. 22.

Joseph. II. Antiq. cap. 5. & Act. ibid & 35. cum. seq.

32. Hic vir, artibus pacis ac belli ab ineunte ætate instructus, quas & AEgyptiis in bello contra Æthiopes approbavit, δυνατὸς ἐν λόγοις καὶ ἔργοις, tandem jussu Dei optimi max. populum AEgyptia servitute, tristi admodum, editis multis antè miraculis, liberavit.

33. Contraxit autem eos ex urbibus, in quibus hactenus longo tempore peregrinati fuerant: quas plurimas fuisse necesse est: quum tanta hominum multitudo sequuta Mosen ducem & liberatorem suum fuerit in desertum *Etham*.

Gen. XLVII.

34. Habitaverat autem Jocobus Patriarcha cum suis in regione *Gessen*, sive *Gosen*, quæ est intra Nilum & montium eos tractus, qui à Casio monte, ad intimum usq; sinum maris rubri procurrunt. Hanc enim regionem, pascuis abundantem, patri ac fratribus suis à rege impetraverat Josephus.

Jerem. XLIV. *&* XLVI.

35. Est in ea regione, præter Paludes, urbs *Magdalum*, non longè distans à Nilo & Pelusio. Huc Judæorum fugerunt reliquiæ, metu Nabuchodonosoris. Cujus tamen effugere manus & arma non potuere. Capti enim & in Babylonem ab eo ducti sunt; id quod Jeremias propheta jam ante eis prædixerat, quem huc secum abstraxerant.

36. Habitarunt tamen eorum permulti etiam in vicina & regia urbe, cui nomen inditum *Tanis*, Hebræis Zoan. In qua, pervetustâ, & septem annis post Hebronem conditâ, Josepho teste, reges AEgyptij sedem suam atque aulam Mosis ævo, & ante eum etiam, Jacobo nimirum in AEgyptum descendente, habuere.

I. Antiq. 4.

37. Huc igitur filios illius Patriarchæ, frumenti emendi caussa missi à patre venerunt. Hîc etiam, sive in campestribus hujus Moses plurima edidit, deo jubente, mira-

miracula, obstupescente Pharaone. Ab hac urbe, alveus unus Nili ad mare decurrit: cujus *ostium* inde *Taniticum* appellatur. Hujus alvei aquæ sanguineæ fluxerunt, percutiente eas Mose.

Exod. VII. *Ps.* LXXVIII. 43. & *seq.*

38. Huic urbi malum minitati sunt, dei nomine, sancti vates, Esaias, Ezechiel & Hieremias, quem & populus ille, pertinacissimè superstitiosus, objurgatusque hoc nomine ab eo, lapidibus obruit.

Esai. XIX. & XXX. *Ezech.* XXIX. & XXX. *in eoque Hieronym Jer.* II. 43. 44. & 46.

39. Non longe hinc aberat, versus paludes, *Heroumcivitas*. ad quam adventanti jam patri suo Jacobo occurrit Josephus, eumque incredibili excepit affectu, præ immodico gaudio prope exspirantem.

Gen. XLVI. *Joseph.* II. *Antiq.* c. 4.

40. Supra eam in meridiem erat *Ramesse*, urbs ab Israëlitis ædificata. Appellata & hoc nomine tota fuit regio finitima, quam Jacobus cum suis possedit. Ad hanc sexcenta virorum millia convenisse perhibentur, & hanc primam habuisse mansionem, quum jam AEgypto excessuri essent. Pascha item primum hîc comedisse legimus.

Exod. I. v. 2. *Gen.* XLVII. v. 11. *Exod.* XII. 37. *Num.* XXXIII. v. 3.

41. E regione hujus urbis, ad occasum, in ipso tractu, cui nomen Delta inditum antè diximus, erat *Phiton*, urbs, quam Israelitæ, servitute dura oppressi, ædificarunt Pharaoni, ut & ipsam Ramesse: in quas thesauros suos conferrent AEgypti reges.

Exod. I. v. II.

42. Supra eam versus mare rubrum est *Sochot*, à tabernaculis dicta. Hic enim tabernacula prima fixerunt Israelitæ AEgypto egressuri. Hæc secunda fuit eorum mansio. Græci hanc regionem τρωγλοδύτιν vocant, ut quidam annotarunt, teste Adrichomio. Ad hanc Trajanum fl. ponunt, qui non longe inde Nilo miscetur.

Exod. XII. *Num.* XXXIII. *Wil. Tyr.*

43. Excipit hunc locum *Etham* desertum arenosum; in

Exod. XIII. XXXIII. & XXXIV. *Num* XIV. & XXXIII. in quo tertia fuit Iſraelitarum manſio. Hic Deus ſe ducem eorum palam oſtendit, interdiu velut columna nubis; noctu ignis inſtar eos præcedens, aut quieſcentes obumbrans.

1. *Cor.* X. *Exod.* XV. *Num.* XXXIII. 44. Quarta manſio fuit in *Phiairoth*, ubi Iſraelitæ montibus undique & mari rubro cincti, hoſte inſuper vegiſtia ipſorum premente, magnas in anguſtias coacti fuere. Unde eos expedivit ipſe Deus, diviſis inaudito ad eum diem exemplo marinis aquis, populoq; ſuo omni incolumi traducto: hoſte verò fluctibus & tempeſtatibus oppreſſo.

45. Hæ fuerunt Iſraelitarum quatuor manſiones, antequam per fundum maris tranſirent. Quorum veſtigia antequam perſequamur, reliqua ægypti oppida, & illuſtria loca, Nilum inter & mare rubrum, breviter ſequamur.

Gen. XLI. 45. *Joſeph.* II. *Antiq.* c. 3. 46. Eſt in iis & quidem in vicinia Etham deſerti, *Heliopolis*, quaſi ſolis urbem dicas, Hebræis *On*. Urbs hæc ampla in primis & ſplendida fuit quondam. Joſephus ille Jacobi Patriarchæ filius, Petephræ, Heliopolitani ſacerdotis filiam virginem, cui nomen erat Aſanethe uxorem duxit, conciliante hoc matrimonium ipſo rege.

Joſeph. XIII. *Antiq.* c6. & VII. *bel. cap.* 30. 47. Onias quidem ſacerdos Maccabæorum temporibus permiſſu regis Ptolemæi Philometoris, & Cleopatræ, templum in præfectura Heliopolitana, apud Leantopolim caſtrum, quod agreſtis Bubaſtis dicebatur, condidit improbo conſilio, ad exemplum Hieroſolimytani templi: de quo adeundus Joſephus.

48. Hac in urbe puerum Jeſum, Servatorem generis humani, ſexennio exſulaſſe conſilio divino, cum Ma-

riæ

ria virgine matre, & Josepho, sunt qui tradant: ibique etiam nunc *fontem* illum mirabilem, & *hortum balsami* extare prodiderunt, qui AEgyptum superioribus temporibus lustrarunt, id quod antè quoq; indicatum est.

E. Boreardo & Saligniaco ad vocem Engaddi.

49. Coli eum hortum non nisi â Christianis & è fonticulo Jesu rigari posse dicit Borchardus. Saligniacus, esse hortum hunc ait in AEgypto, inter Heliopolin & Babylonē, & habere in longitudine duos jact' arcus; in latitudine jactū lapidis; terræ fere albæ; & cujusmodi frutex sit Balsami, subjungit: quomodo item liquor eliciatur.

Cap. VII. §. 39. Tom. X. cap. 6.

50. De fonte Jesu idem: *Fonticulus Jesu parvulus est, non sufficiens irrigationi totius horti. quare Sarraceni alium foderunt juxta illum puteum, ex quo quatuor boves aquam protrahunt per rotam, sperantes ex vicinitate fontis Jesu aquam forè salubrem. At longè aliter res evenit: donec missis canalius aquam putei ducerent in fontem Jesu. quo facto largiter & salubriter ex aquis mixtis rigatur Balsami hortus.*

51. *Mirum dictu; verum tamen: à meridie Sabbathi, usq; ad auroram die Lunæ boves nullo verbere impelli possunt, ut in protrahenda aquâ laborent. quod est fidei nostræ testimonium celebre.*

52. Addit: *In hoc fonticulo Jesu lavimus indigni corpora nostra. Sed & Sarraceni hic se & pueros suos lavant: non ut baptizentur: sed ut corporum suorum fætorem naturalem evadant.* Hæc cognitione indigna, ut opinor, non facile quis arbitrabitur. Itaque. inserere ceteris ea visum fuit.

53. Servator igitur noster Heliopoli aut in illa certè regione exsulavit metu Herodis, ex illorum sententia. Sunt tamen, qui Hermopolim, Thebaidis urbem venisse eum perhibent, ibique Persea, arborem maximam,

Sozom. lib. V. Hist. Ecc. c. 20.

appropinquantem Dominum, inflexo ad terram fastigio, veneratam. indeq; & fructum, & folia, & partem corticis, in gravibus morbis, saluti multis fuisse. Cui narrationi quantum quis fidei adhibendum putet, ipse statuat: uti & quod de concussis, sive eversis AEgyptiorum deorum statuis, adventante Servatore nostro, iidem memorant.

Hier. in vi- S. Hilarion.

54. Supra Heliopolim, in ripa Nili citeriore *Memphis* erat, Hebræis *Noph* dicta: urbs magna & populosa, regia sedes, & domicilium sacerdotum, sive sapientum, quos Græci studiose audiebant olim, ipsi sapientiæ doctores in sua gente celeberrimi.

De eo Melam adi lib. I. c. 9. *& Herod. lib.* II. *Strabon. & Plinium.*

55. Superstitioni mirifice fuit dedita Memphis, ut & AEgyptus tota. Hic enim Apis sive Serapis habebat templum & sacerdotes. Memnonis item statua fracta, & vocalis, ubi sol oriens eam radiis feriret. Propter hanc superstitionem Deus malum urbi huic minitatus est, aliquot Prophetarum vocibus, Esaiæ, Hieremiæ, Ezechielis, & Oseæ. quas frustra non fuisse, malo suo didicit, sæpe capta.

Herod lib. II. *Mela.* I. *cap.* 9. *Strabo. lib.* XVII.

56. Prope eam erant insanæ illæ substructionum moles, quas *Pyramides* appellant scriptores. de quibus multa passim exstant & miranda apud diversos auctores, qui & superbas earum inscriptiones produnt, alibi referendas. Regum sepulchra hæc fuerunt, opum argumenta stolidarum.

Breidēbachi & Lud. Roman.

57. Hæc urbs postea *Babylonia* AEgypti dicta est, & Arabum ligua *Cayrus*; hodie *Alcairus* vocatur. Cujus magnitudinem stupendam, & omnium urbium, de quibus satis hodie constat, multis partibus vincentem, non pauci memorant, etsi non nemo ambitum quidem domorum

morum fama ait minorem, & magnam populi multitudinem sub dio, aut in vicis suburbanis degere.

58. Hodie Turcico tyranno paret. Selymus enim victo ultano Tomumbeio, & interfecto, anno MDXVII AEgyptum, cum hac ejus metropoli, regno suo adjecit, non exiguum sanè additamentum.

59. Supra eam urbem erant AEgyptiæ *Thebæ*, opibus olim & armis potentes, si scriptoribus fides. Hæ centum habuisse portas scribuntur: indeq; ἑκατόμπυλαι Straboni ex Homero.

60. Mela id vocabulum pulchre interpretatur, & urbium AEgyptiarum primarias enumerat. *Viginti millia, urbium*, inquit, *Amasi regnante, habitarunt*: (*AEgyptii*) *& nunc multas habitant. Earum clarissimæ procul à mari, Sais, Memphis, Syene, Bubastis, Elephantis, & Thebæ, utiq; (ut Homero dictum est) centum portas, sive, ut alii ajunt, centum aulas habent: totidem olim principum domos: solitasq; singulas, ubi negotium exegerat, dena armatorum millia effundere.*

Lib. 1. *c.* 9.

61. Ea magnitudo urbis & potentia jam olim ævo Strabonis conciderat, & habitabatur per vicos. Hodie nequidem vestigia ejus superesse scribuntur, usq; adeo, quod poeta olim prodidit:

Iliad. x.

Illa vetus Thebe centum jacet obruta portis,

Et quod alter,

Et Thebæ steterunt, altaq; Troja fuit.

Juvenal. sat. xv.

Propert. II.

62. Ab hac urbe vicina regio nomen sortita est *Thebaidis*; in qua desertum, nobilitatum secessu & sanctimoniâ Antonii, Pauli & aliorum, qui in loca solitaria, & à contagio vitiorum, quæ fert vita hæc communis, olim cupi-

cupidè concesserunt, ibiq; meditationibus piis, & precibus, aliisque religiosæ vitæ exercitiis, Deo approbare se ingenti studio sunt conati.

63. De urbibus AEgypti hactenus, pro instituto nostro satis. De *Labyrintho* ejusdem, admirando prorsus, vel potius stupendo opere, in Manuductione nostra, favente Deo, non nulla, scitu non indigna lectori indicabimus: uti & pluscula de moribus atq; institutis AEgyptiorum.

64. Hoc unum saltem *de superstitione* eorum, verbis Melæ, quo plus fidei inveniat nostra hæc narratio, memorandum. *Colunt effigies multorum animalium: atq; ipsa magis animalia: sed alii alia, adeò, ut quædam eorum, etiam per imprudentiam interemisse, capitale sit. & ubi morbo aut forte exstincta sint, sepelire ac lugere solenne sit.*

Lib. 1. c. 9.

65. Et poëta, qui animalibus brutis, & leguminibus quibusdam parcere AEgyptios; homines contra ait mactare, idq; libertate Satyrica ridet,

Juvenal. Sat. XV.

Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
AEgyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars hæc; illa pavet saturam serpentibus ibin.
Effigies sacri nitet aurea Cercopitheci:
Dimidio magicæ resonant ubi Memnone chordæ,
Atq; vetus Thebe centum jacet obruta portis.
Illic cæruleos, hic piscem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur: nemo Dianam;
Porrum & cape nefas violare, & frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina! lanatis animalibus abstinet omnis
Mensa: nefas illic fœtum jugulare capellæ;
Carnibus humanis vesci licet.

66. Hinc

66. Hinc intelliguntur illa Mosis: *Vocavit Pharao Moysen & Aaron, & ait eis, Ite & sacrificate Deo vestro in terra hac. Et ait Moyses, Non potest ita fieri. Abominationes enim AEgyptiorum immolabimus Domino Deo nostro. Quod si mactaverimus ea, quae colunt AEgyptii, coram eis, lapidibus nos obruent. Viam trium dierum pergemus in solitudinem: & sacrificabimus Domino Deo nostro: sicut praecepit nobis.*

Exod. IIX. v. 25 *cum seq.*

67. Quod ille vix tandem, multis cladibus castigatus, annuit. Quas præter Mosen enumerat etiam regius vates David: cujus mentem elegantissimis versiculis expressit paraphrastes disertissimus è Scotia.

Exod. VII. *& seq.*

Et quae per Pharias miracula plurima gentes
Edidit, in vitreos suffuso sanguine rivos;
Damnatisq; siti laticum sine munere mensis.
Et modò pestiferae per celsa palatia muscae
Spicula figebant liventi tincta veneno:
Et modo flumineis squallebant atria ranis:
Et nunc bruchus edax, hominumq; boumq; labores:
Agmine nunc denso dira exedére locustae.
Grandinis imbre hortos, lapidosa grandine vites.
Grandine silvarum Dominus decussit honorem:
Grandine prostrati fortes jacuere juvenci;
Et segetum gravidos ruit igneus imber in agros.

Ps. LXXIIX. *Adde Psal.* CV. *&* CVI.

Cetera ex ipso petantur, pluscula enim sunt.

68. Processit igitur populus, ducibus Mose & Aarone, vel potius Deo ipso ad sinum maris rubri, eumq; intrare etiam, divino miraculo siccatum, ausus trajecit. Quem sequi quum AEgyptius rex cum copiis non dubitasset, recurrentibus aquis, quæ divisæ prius, murorum instar, ab utroque latere steterant immotæ, oppressus fuit.

Exod. XIV.

I. Antiq. IX. *Judaic.* VII.

69. Josephus tempestates etiam horribiles accessisse ait. *Quum jam universus exercitus introgressus esset*, inquit, *refunditur iterum mare, & AEgyptios fluctibus involvit: ventis etiam eodem impellentibus, Accesserunt & imbres de cælo, & aspera tonitrua, fulguribus simul intermicantibus: fulmina quoque deferebantur. & nihil omnino deerat eorum, quæ ab irato Deo hominibus ad perniciem immitti solent. nam & nox eos caliginosa nimis ac tenebrosa comprehendit. Atq; ita totus ille exercitus deletus est, ut ne nuncius quidem cladis domum reverteretur.*

Psal. LXXIV. *Adde* LXXVII *&* LXXIX.

70. Eandem rem non indignis sancto vate versiculis persequutus est Buchnanus.

Secessit unda te jubente, & vitreo
Muro liquor coërcuit
Cursum: feroces viribus suis duces
Ponti recursus obruit.
Ipsum marinis vastiorem belluis
Hausit tyrannum, & asperis
Afflicta saxis, fluctibus cadavera
Ejecta vultur, AEthiops
Voravit.

Exod. XV.

71. Liberatum eo tempore populum gaudio exsultasse, Deoq; novæ libertatis vindici hymnum cecinisse, qui hodieque superest, nemo nostrum ignorat. Josephus, *Hebræi*, inquit *vix sui compotes erant præ gaudio, ex tam inopinata salute concepto: accedente huc etiam hostium interitu, quo major esset libertatis securitas, nemine superstite, qui eos in servitutem vindicare cuperet; & Deo ex professo illis auxilium submittente.*

Lib. II. *Antiq cap. ult.*

72. *Quapropter tum sua salute, tum inimicorum supplicio læti magis, quàm ulli antehac homines. in hymnis & hilaritate totã noctem*

ctem exegerunt. Et Moses carmen, laudes Dei, & ob præsentem favorem gratiarum actiones concinens, hexametro versu composuit.

73. Hæc ille, sine dubio rectè. Verùm quod idem ambigere videtur, an non natura opitulata laboranti populo sua sponte sit, haud scio, an non extenuare ingens & prorsus stupendum miraculum videatur: præsertim quod orbis terrarum admiratus ex eo tempore fuit: quodque prædicare & populo suo ingerere ipse Deus sæpe solet.

74. Josephi sunt ista. *Nemo mirari debet, tanquam incredibilia, si priscis hominibus, & ad malitiam etiam tum rudibus, de salute periclitantibus, via per mare patuit: sive Dei voluntate, sive naturæ sponte: quandoquidem heri & nudiustertius, Alexandri ductu, Macedonibus Pamphylium mare cessit, & aliam viam non habentibus, illac iter aperuit: quum Deus ejus operâ ad destruendum Persarum imperium uti decrevisset.*

75. Hoc, ut dixi, ferendum non est; nisi si dicamus, naturam supra aut præter vires suas, jubente domino & auctore universi, hoc tanto molimine, & conatu inaudito, saluti populi, Deo peculiariter electi, consulere voluisse.

76. Illud quidem prorsus impium, ad æstum illius maris statum & ordinarium eam rem referre: quod quosdam tamen non dubitasse docuit nos Scaliger pater. *In Erythræo*, inquit, *mari æstus tantus est, ut osores sacrarum literarum temere mentiti sint, Mosen in sicco transmisisse, nactum refluxionis occasionem. Quod tamen fieri non potuit. propterea quod ad Sues usq;, quod intimo in recessu jacet, mare operiit littus illud: neq; umquam regrediens ita nudat, ut inferiores partes, qua*

Exercit. III. *ad Cardanum*

qua transierunt Hebræi, sua decessione aperiat.

77. Hisce nos eo libentius accedimus, ne à sacrarum literarum auctoritate discedamus, quod nefas esse arbitramur.

78. Eluctati autem è sinu Arabico, sive rubro mari, quod Erythræũ Græci vocant, jam loca minime amœna illa quidem, sed divinis miraculis illustria, mente oculisq; percurramus, vestigiis populi illius ubique ingressi.

Exod. XV.22. & *seq.* *Num.* XXX.V. 8. & *seq.*

79. Igitur digressis à mari Israelitis versus desertum Sur, post tridui iter, quincta castra eorum fuere in *Mara*, ad fontem, cujus aquas amaras, eoque potui incommodas, injecto in eas ligno dulces fecit Moses ac potabiles, jussu Dei optimi maximi.

Ibidem. & *Joseph.* III. *Antiq.* I.

80. Sexta mansio populi, sive sexta castra fuerunt in *Elim*, ubi fontes quidem XII. inventi: palmæ verò LXX. Verùm tamen tantæ multitudini nulla ex parte sufficere ad victum potuerunt.

Ibid & *Num.* XI. *Ps.* LXXIIX et CV. *Joan.* VI. I. *Cor.* X.

81. Ulterius progressi ad mare, & in desertum *Sin*, aliquot tandem castris ad montem *Sinai*, pervenerunt, non sine magna difficultate. In deserto Sin, consumto, quem ex Ægypto extulerant, commeatu, murmurare populus cœpit adversus Mosen & Aaronem. Itaque Deus, majestate sua in nube refulgens, cibos illi promittit, & mox præbet de cœlo panem, quem *Manna* dixere, & cothurnices. Illo pane annis XL. pasta est ingens ista multitudo.

Lib. III. *c.* I.

82. Quam molestum iter hoc & laboriosum fuerit Israelitis, Mosi verò & Aaroni etiam periculosum, è Josepho lector discet. qui & Mosis facundiam singularem, ac prorsus salutarem exponit, qua populum irâ furentem sæpe mitigavit.

83. Un-

83. Undecimis castris venerunt in *Raphidim*: ubi multitudo ob aquarum inopiam iterum contra ducem suum tumultuata est. Qui exorato Domino, percussâ baculo suo petrâ, magnam aquæ vim elicuit. Hîc quoq; in Israelitas pugnarunt Amalecitæ. quos precibus suis Moses vicit, sublatis in monte Orebo ad cœlum manibus.

Exod. XVII. *Num.* XX. *Psalm* CV. I. *Cor.* X.

84. Duodecima castra habuit populus ad *Sinai* montem sanctum, in deserto ejusdem nominis, cujus pars erat *Oreb*: Ad hunc montem, mense tertio pòst quàm Ægypto excesserat, multitudo pervenit, & amplius anno ibidem est commorata. Mons hic omnium altissimus erat in hac regione, atque in arduam rupem desinebat, propeque in accessam. Etiam olim magna veneratione cultum pastoribus accepimus, ut quem cœleste numen incolere crederetur. Elias propheta gloriam Domini transeuntis hîc quoque spectavit.

Exod. XIX. I. *Reg.* XIX.

85. Ad eundem hunc montem, internuncio Mose, legem æternam Deus, suis digitis inscriptam duabus tabulis, populo suo dedit, voluntatemque & sapientiam divinam iisdem revelavit, majestate sua ostensa, non sine omnium consternatione.

Exod. XIX. & *seq. Jos.* III. *Antiq.* 4.

86. Has tabulas quum fregisset Moses, justâ incensus irâ, aliis duabus, quas ipse jussu Dei paraverat, eandem legem inscripsit Deus. quæ deinceps conditæ jussu Dei in arca fuerunt. Hîc quum diutius colloquio Dei & conspectu frueretur Moses, eum fulgorem facies ipsius consequuta est, ut eam intueri non possent Israelitæ, neq; ferre ejus oculorum aciem, nisi velo contectam.

Exod. XXXI. XXXII. & XXXIV. I. *Cor.* III.

87. Tabernaculum etiam hîc, cum instrumento ejus omni, constructum & dedicatum: instituti sacerdo-

Exod. XXV. & *seq. Joseph.* III *Ant.* c. 5. & *seq*

tes, & Levitæ: ipse summus Pontifex denique consecratus. Leges item de ceremoniis & civilibus negotiis latæ: totaque respub. hujus populi descripta. Anno enim integro, & amplius, hic hæsere. Itaque ea omnia, quæ in magna parte Exodi, toto Levitico & initio Numerorum referuntur, ad hunc montem gesta.

Paul. ad Gal. IV. 24. & 25

88. Ad radices ejusdem, (qui olim Agar dictus Arabibus) S. Catharinæ monasterium scribitur fundatum ab Imp. Justiniano: ejusque virginis corpus in vertice ejus montis conquiescere, Alexandriâ eo delatum.

Edita Francof. anno. 1583.

89. In eo monasterio homines docti superioribus seculis vixerunt, neque nunc penitus defecerunt. Quin exstant hodieque literæ Abbatum sive monachorum illius montis, ad homines doctos, & magnates quosdam Germaniæ.

Exod. III. *Actor.* VII.

90. Hic ille mons est, in quo ardentem rubum non absumi vidit Moses pascens oves soceri sui. Quo tempore Deus ipsi vocato mandata dat ad Pharaonem & Israelitas; uti eos ex Ægypto educat.

Exod. XIIX.

91. Huc etiam ad eundem, jam Ægypto egressum cum populo; & victorem Amalecitarum, venit Jethro, socer Mosis, sacerdos in Madian, quem Raguelem etiam vocant sacræ literæ, uti & Josephus. Hic Raguel Mosi genero suo, universæque Israelitarum multitudini, & libertatem partam gratulatur, & salutaria monita subjicit: quibus is in tanta hominum multitudine gubernanda felicissimè est usus, pacis belliq; tempore.

Joseph. III. *Antiq. cap.* 3.

Num. XI: 1. *Cor.* X. *Psal.* LXXIIX. *Jos.* III. *Antiq.* 12.

92. E deserto Sinai populus itinere tridui per viam montis Amorrhæi profectus est; habuitq; tertia decima castra ad *Sepulchra concupiscentiæ*, ita dicta, quòd exstincta ibi à Deo fuerant aliquot hominum millia, qui murmu-

rave-

raverant, & contemto cœlesti pane, delitias AEgypti requisierant: quibus satisfactum quidem est omnino; at magno ipsorum malo.

93. Ab eo loco non longè aberat is, in quo ignis Domini extremam castrorum partem absumsit; quòd populus tædio laboris murmuravisset. qui tamen ignis precibus Mosis exstinctus est. Loco nomen inditum *Incensio*, ab eventu. *Num.* XI.

94. Quarta decima castra habuere in *Aseroth*: quo in loco Maria soror Mosis, & Aaron, seditionem excitare conati adversus fratrem, graviter à Deo increpiti, & Maria lэprâ percussa, tandem precibus Mosis veniam & salutem impetravit. *Num.* XII.

95. Hinc in *Desertum Paran* profecti, quincta decima castra habuere in *Rethma*. Cui loco vicino *Cadesbarne*. Unde Moses duodecim viros misit, terram Chanaan, ad cujus fines perventum jam erat, exploratum. *Num.* XXXIII *& seq.* *Exod.* XXIII. *Joseph.* III. *Antiq.* 13.

96. Hi quum perspecta regione ea omni, in castra reversi, populum terrore implevissent, isq; in desperationem se effunderet, neque promissis divinis fidem adhiberet, jussu Dei converso itinere, per idem desertum, intra juga montium perpetua reductus est ad mare rubrum: ubi XXXIIX. annos detenti sunt, donec annis viginti majores interierunt: Josua & Calebo saltem exceptis, quibus ob constantiam animi Deus eam promisit, dedit terræ promissæ possessionem.

97. Quidam etiam de populo ab Amalecitis & Chanaæis fusi fugatique sunt, quum invito Mose ac dissuadente expeditionem & arma in hostem sumpsissent, pertinaciâ pro virtute usi. *Num.* XIV. *39. & seq.* *Joseph.* IV. *Antiq. c.* I.

98. Quum ad mare populus reduceretur, vigesimis *Num.* XVI.

quar-

Deut. XI. *Psalm.* CVI. *Joseph.* IV. *Antiq.* 2. & 3.

quartis castris, *in Thare*, omnium gravissima excitata est seditio adversus Mosen, à Core, Dathan & Abiron, alisq; ducentis quinquaginta nobilissimis viris. Cujus seditionis auctores Deus, inaudito severitatis exemplo, vivos, terra dehiscente, ad inferos præcipites egit: socios verò eorum ignis à Domino egressus absumsit. Populus quum ob interitum eorum tumultuaretur, immissâ divinitus plagâ XIV. millia & DCC. viros amisit.

Num. XVII. *Joseph.* IV. 4.

99. Eodem loco insigni miraculo sacerdotium Aaroni ejusque posteris confirmavit Deus, eosque se præ cæteris tribubus Israelis huic muneri destinasse, in virga ipsius Aaronis declaravit. Qui benevolentiæ suæ in populum illustre prorsus documentum paullo ante dederat, in tristi illa strage, quam diximus.

Num. XV, 30.

100. Ante quam in Thare ventum esset, hominem quendam, qui Sabbatho ligna quædam fortè collegerat, itaque legem de Sabbatho sancitam neglexerat, jubente Domino lapidibus universa multitudo obruit, castris undevicesimis.

Num. XXXIII. *Deut.* II. 1. *Reg.* IX. 1. *Reg.* XXII.

101. Sequentia loca non magnopere illustria sunt; usque ad *Asiongaber*, ubi castra fuere XXXII. ultima in deserto Pharan, ad rubrum mare. Hîc portus erat commodus, unde Salomonis classis in Ophir solvebat. Josaphati naves, quod is cum rege impio Achabo societatem coiisset, aggressa tempestas fregit universas. Itaque navigare in Ophir, quo destinaverat, non potuit.

Exod. II.

102. Supra Asiongaber, septemtrionem versus erat in eodem littore urbs regia Amalecitarum *Madian*: à qua regio vicina nomen sortita est, in qua Moses AEgypto profugus exsulavit, annos XL. & uxorem duxit, Raguelis sacerdotis filiam Sephoram. E regione hujus

urbis

urbis ad orientem est desertum & mons Sinai. Madian ab uno filiorum Abrahami è Cethura, nomen traxisse scribitur.

Genes. xxv. *Joseph.* I. *Antiq. c.* 16.

103. Sed pergamus viâ Israelitis calcatâ è deserto quoque hoc erepere tandem. Ii igitur ab Asiongeber ulterius in meridiem perrexére. Et quum *Elath*, urbem Idumæorum maritimam transissent, flexo itinere in ortum contenderunt per Evila solitudinem: relicta ad dexteram *Amalec* urbe, à qua & regioni & populo nomen.

Hieronym.ad Ezech.cap. 47.

104. Hæc gens ab Amalec orta, filio Eliphaz, Esavi nepote, loca hinc ad AEgyptum usque obtinuit. Itaque in Israelitas ultrò armis infestis incurrit ad montem Oreb, uti dictum: à quo ancipiti prælio victa est, orante Mose, Josua pugnante, ut diximus,

Genes. xxxvi. *Exod.* xvii. *Joseph.* iii. *Antiq. c.* 2.

105. Hujus injuriæ à propinquis illatæ memorem voluit Deus esse populum. Itaque *dixit ad Mosen: Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade auribus Josuæ. Delebo enim memoriam Amalec sub cælo.* Et jussus est aliquot pòst seculis ulcisci contumeliam Saulus, primus regum Israelis. qui expeditione in eos susceptâ, excidit gentem. cujus regem Agag, conservatum ab illo, Samuel concidit Domino in Galgalis.

Exod. xvii. I. *Sam.* xv.

106. Hac, ut diximus, urbe ad dexteram relictâ, perexit Israel in *desertum Zin vel Cades.* ubi Maria, soror Aaronis, & Mosis, prophetico mulier prædita spiritu decessit, & sepulta est anno XL. post quàm AEgypto excesserant. Castra hæc Israelitarum fuere XXXIII.

Num. xx. & xxvii.

107. Vicina huic loco *petra* illa est, quâ percussâ Moses eliciuit aquarum magnam copiam: itaque seditionem populi sedavit. Hinc dictæ sunt *aquæ contradictionis.* Offendérunt hîc Moses & Aaron æternum illud numen,

Num. xx. *Psalm.* cv. *Sap.* xi. I. *Cor.* x.

quum per incredulitatem bis petram percuſſiſſent. Itaq; nec in promiſſam terram introducti ſunt.

Num. xx. & xxxIII. *Deuteron.* xxxII.

108. Neque longè inde abeſt *mons Hor*, ubi xxxiv. caſtris mortuus eſt & ſepultus Aaron, eodem anno, quo ſoror obierat. Luctu eum xxx dierum populus proſecutus eſt. In cujus locum ſurrogavit Moſes, juſſu Dei, Eleazarum, filium illius, Pontificem.

Num. xx. *Deut.* II.

109. Erant hæc loca, deſertum Zin, ſive Cades, & Hor, ad fines Edomitarum, ſive Idumæorum. Itaque miſſis legatis ad fratres illos Iſraelitarum, à rege eorum Moſes perquam humaniter petiit, uti ſine maleficio per eorum fines tranſire ſibi cum populo liceret. Quod illi tamen non modò prorſus recuſarunt, ſed armati etiam, prohibituri fratres, iis occurrerunt. Deflexit igitur, juſſu Dei, Moſes, & occurſum eorum declinavit.

Num. xxI. *Joan.* III.

110. Sequentia pleraq; caſtra obſcura ſunt, *Salmona, Phunon, Oboth, Jeabarim.* *In Phunon* tamen immiſit Deus populo ſerpentes ignitos: quod Manna, cœlitus miſſum panem, faſtidiret & contemneret. Liberati illo malo precibus Moſis fuere: qui juſſu Dei æneum ſuſpendit ſerpentem, quem qui adſpexiſſent, mortis periculum evaſere. qua perilluſtri imagine jam tum Chriſti ſervatoris beneficium, & ſalutis noſtræ myſterium indicatum eſt.

Jerem. XLIX. *verſ.* 7.

111. Jamq; populus ad Idumæorum & Moabitarum fines pervenerat. Ubi ad ſiniſtram, relicto monte *Seir*, urbes *Edom, Boſra, Theman, Dedan*, præteriere: quarum mentio in ſacris libris non uno loco eſt: præſertim in prophetarum monumentis. In *Theman* ſtudia ſapientiæ olim culta ſcribuntur.

112. Fuit autem Deus ipſe populo huic ſuper vaſtiſſima

sima hæc & inhospita saxa præsidio, neq; ei quidquam rerum necessariarum deesse passus est. Itaq; Moses jure, *Dominus Deus tuus*, inquit, *benedixit tibi in omni opere manuum tuarum. novit iter tuum, quomodo transieris solitudinem hanc magnam, per XL. annos habitans tecum Dominus Deus tuus, & nihil tibi defuit.*

Deut. II. v. 7. adde c. IV. 32.

113. Et luculentius etiam aliquantò post. *Recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus XL. annis per desertum, ut affligeret te atq; tentaret, & nota fierent, quæ in tuo animo versabantur, utrum custodires mandata illius an non.*

Deut. VI. II, 2. & seq.

114. *Afflixit te penuriâ, & dedit tibi cibum Manna, quod ignorabas tu ac patres tui: ut ostenderet tibi, quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Domini.*

Matth. IV. Luc. IV.

115. *Vestimentum tuum quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit, & pes tuus non est subtritus. en quadragesimus annus est, ut recogites in corde tuo, quia sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudivit te, ut custodias mandata Domini Dei tui, & ambules in viis ejus, & timeas eum.*

Deut. XXIX. v. 5.

116. Et rursus, *Reminiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra AEgypti, de domo servitutis: & ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, qua erat serpens flatu adurens & scorpio ac dipsas, & nulla omnino aqua. qui eduxit rivos de petra durissima, &c.*

Deut. IIX. vers. 14.

117. Desertum hoc *Arabiæ petrææ pars* est, cinctum undique AEgypto, vel potius rubro mari, Palæstina, sive Chananæa, Idumæa, Moabitarum & Ammonitarum, aliarumque nationum sedibus.

118. Ultra hanc Arabiam longè in meridiem procur-

quum per incredulitatem bis petram percussissent. Itaq; nec in promissam terram introducti sunt.

Num. xx. & xxxiii. *Deuteron.* xxxii.

108. Neque longè inde abest *mons Hor*, ubi xxxiv. castris mortuus est & sepultus Aaron, eodem anno, quo soror obierat. Luctu eum xxx dierum populus prosecutus est. In cujus locum surrogavit Moses, jussu Dei, Eleazarum, filium illius, Pontificem.

Num. xx. *Deut.* ii.

109. Erant hæc loca, desertum Zin, sive Cades, & Hor, ad fines Edomitarum, sive Idumæorum. Itaque missis legatis ad fratres illos Israelitarum, à rege eorum Moses perquam humaniter petiit, uti sine maleficio per eorum fines transire sibi cum populo liceret. Quod illi tamen non modò prorsus recusarunt, sed armati etiam, prohibituri fratres, iis occurrerunt. Deflexit igitur, jussu Dei, Moses, & occursum eorum declinavit.

Num. xxi.

110. Sequentia pleraq; castra obscura sunt, *Salmona, Phunon, Oboth, Jeabarim*. *In Phunon* tamen immisit Deus populo serpentes ignitos: quod Manna, cœlitus missum panem, fastidiret & contemneret. Liberati illo malo precibus Mosis fuere: qui jussu Dei æneum suspendit serpentem, quem qui adspexissent, mortis periculum evasere, qua perillustri imagine jam tum Christi servatoris beneficium, & salutis nostræ mysterium indicatum est.

Joan. iii.

111. Jamq; populus ad Idumæorum & Moabitarum fines pervenerat. Ubi ad sinistram, relicto monte *Seir*, urbes *Edom, Bosra, Theman, Dedan*, præteriere: quarum mentio in sacris libris non uno loco est: præsertim in prophetarum monumentis. In *Theman* studia sapientiæ olim culta scribuntur.

Jerem. xlix. *vers.* 7.

112. Fuit autem Deus ipse populo huic super vastissima

ſima hæc & inhoſpita ſaxa præſidio, neq; ei quidquam rerum neceſſariarum deeſſe paſſus eſt. Itaq; Moſes jure, *Dominus Deus tuus*, inquit, *benedixit tibi in omni opere manuum tuarum. novit iter tuum, quomodo transieris ſolitudinem hanc magnam, per XL. annos habitans tecum Dominus Deus tuus, & nihil tibi defuit.*

Deut. II. v. 7. adde c. IV. 32.

113. Et luculentius etiam aliquantò poſt. *Recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus* XL. *annis per deſertum, ut affligeret te atq; tentaret, & nota fierent, quæ in tuo animo verſabantur, utrum cuſtodires mandata illius an non.*

Deut. VI. II, 2. & ſeq.

114. *Afflixit te penuriâ, & dedit tibi cibum Manna, quod ignorabas tu ac patres tui: ut oſtenderet tibi, quod non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod egreditur de ore Domini.*

Matth. IV. Luc. IV.

115. *Veſtimentum tuum quo operiebaris, nequaquam vetuſtate defecit, & pes tuus non eſt ſubtritus. en quadrageſimus annus eſt, ut recogites in corde tuo, quia ſicut erudit filium ſuum homo, ſic Dominus Deus tuus erudivit te, ut cuſtodias mandata Domini Dei tui, & ambules in viis ejus, & timeas eum.*

Deut. XXIX. v. 5.

116. Et rurſus, *Reminiſcaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra AEgypti, de domo ſervitutis: & ductor tuus fuit in ſolitudine magna atque terribili, qua erat ſerpens flatu adurens & ſcorpio ac dipſas, & nulla omnino aqua. qui eduxit rivos de petra duriſſima, &c.*

Deut. IIX. verſ. 14.

117. Deſertum hoc *Arabiæ petrææ pars* eſt, cinctum undique AEgypto, vel potius rubro mari, Palæſtina, ſive Chananæa, Idumæa, Moabitarum & Ammonitarum, aliarumque nationum ſedibus.

118. Ultra hanc Arabiam longè in meridiem procur-

xit *Arabia felix*, inter duos sinus, Arabicum & Persicum protensa. de qua regione universa, ejusq; natura ac dotibus, in Manuductione Veteris Geographiæ plura, favente Deo, memorabimus.

1. *Reg.* x. II. *Paral.* IX. *Matth.* XII. *Luc.* XI.

119. Nunc sufficit indicasse, urbem in hac Arabia felici primariam fuisse *Sabam*. Unde Hierosolymam venisse scribitur regina, Salomonis sapientiam exploratura. quâ obstupefacta, magnam ei vim auri, & aliarum rerum preciosissimarum donavit. Quidam hanc Sabam tamen in Africæ parte, id est, AEthiopiâ ponunt. Atque hactenus de Arabia. Unde discedentes Israelitarum vestigia persequemur in terram sanctam.

CAPUT VII.

De terra duabus tribubus Ruben & Benjamin assignata.

POpulus Israeliticus, superatis tandem, quadraginta annorum spacio, desertis horridis, Sin, Sinai, Pharan, Zin sive Cades, quum huc illuc jussu Dei, propter contumaciam, & obstinatam rebellionem circumductus fuisset, post multas & miseras obberrationes, ad limites Moabitarum pervenit, relictis ad lævam Idumæis, & montibus Seir, itemq; Mari mortuo.

Gen. XIX *cap.* 37. *Num.* XXI. 29.

2. *Moabitæ* orti sunt à Moab, qui, ut notum, ex incesto concubitu Lothi cum filiarum natu maxima, natus fuerat. Gens hæc magna olim fuit, & potens, indeque

super

ſuperba. idolorum item cultui mirificè dedita. Chamos enim dæmonium venerabatur. *Jud.* XI. *c.* 24.

3. Hujus populi ea virtus fuit, & armorum ſcientia, ut terribiles gigantes, qui hanc regionem incolebant, exterminarit, aut expulerit. etſi hoc divinæ potius benignitati, quam fortitudini Moabitarum tribuendum. *Deut.* II. 10.

4. Nam ne hos quidem ab Iſraelitis, è deſerto in terram promiſſam pergentibus, lædi paſſus eſt Deus: quum eam oram poſteris Lothi ſe diceret aſſignaſſe, ut refert Moſes diſertè.

5. Juſſi igitur tranſierunt torrentem *Zareth*, qui per vallem ejuſdem nominis deſcendens, Mari mortuo mergitur. *Num.* XXI. 12. *Deut.* II. *c.* 13.

6. Non longè inde diſtat *Petra*, arx munita & urbs Moabitarum vetuſtiſſima, & totius regionis metropolis, in monte ſita, propemodum in medio mortui maris latere orientali. Græcis hæc ita dicta; Hebræis, *Sela*, & quondam, *Arce*, Arecn aut Arecen: poſtea Recem & Receme. *Vide Adrichom.*

7. Hanc adeò regiam urbem Arabiæ ipſius agnoſcebant; quippe in qua rex aulam ſuam & palatium haberet. Itaque totam Arabiam Petræam hinc quidam nomen traxiſſe volunt.

8. Sæpe hujus mentio fit apud Joſephum & alios ſcriptores. Plinius *Nabathæi* inquit, *oppidum incolunt, Petram nomine, in convalle, paulo minus* II. *mil. paſſ. amplitudinis, circumdatum montibus inacceſſis, amne interfluente. Abeſt à Gaza, oppido litoris noſtri, DC Mil. à ſinu Perſico CXXII. Mil. Huc convenit utrumq; bivium, eorum qui Syriæ Palmyram petiere, & eorum qui ab Gaza venerunt.* *Lib.* VI. 28. *Hieronym. Comment. in* XLII. *c. Eſaiæ.*

9. Iſraelitæ eam urbem olim ceperunt, cum rege *Num.* XXXI.

Q3 ejus

Hieronym. de Loc. Hebr.

ejus Recem, tum quum Madianitis bellum jussu Dei inferrent. Ex eadem oriunda fuit, judice Hieronymo, *Ruth*, pii ac fidelis animi fœmina: è cujus posteris rex David ortus est.

II. Reg. XIV. v. 7.

10. Amasias quoque, rex Juda, in expeditione ad versus Edomitas, hanc urbem expugnavit. Sic enim est in ejus historia: *Ipse percussit Edom in Valle Salinarum, decem millia, & apprehendit Petram in prælio, vocavitq; nomen ejus Jectehel, usq; in præsentem diem.*

Joseph. XIV. *Antiq.* 9.

11. Quum ab Areta rege Arabum teneretur, Scaurus ei bellum intulit, agrumque vastavit, quod ad urbem aditus esset difficilis. Antipatri tandem interventu, ejus, qui Herodem genuit, illud bellum compositum fuit, promissis à rege trecentis talentis, in quæ fidejussorem Scaurus accepit Antipatrum.

Adrichom. è wilh. Tyrio. Borchard. & Breidenbach

12. Christiani principes, Europæi, qui ante annos quingentos Palæstinam occupaverant, & quidem Balduinus rex, urbem hanc amplificasse traduntur. Hodie à Sulthano tenetur, qui in ea reponit thesauros totius AEgypti & Arabiæ.

13. Erat in his oris, & quidem ad viam ipsam, qua transierunt Israelitæ, urbs *Madian*, cognominis ei; quæ ad rubrum mare: cujus incolam Jethronis sive Raguelis generum fuisse Mosen antè diximus, qui & oves ejus in deserto illo curavit.

Numer. XXV. *Deut.* IV. *Josu.* XXII. *Psalm.* CVI.

14. Verùm hæc, qua de nunc agimus, non longè abest à mari mortuo, & torrente Arnon: eoq; cum illa priore non confundenda. Hujus urbis fœminæ Israelitarum permultos ad idolorum cultum pellexerunt: unde gravis exstitit offensa Dei opt. max. quam Moses, jussu ipsius, sumto de multis eorum supplicio, sedavit; & generosi

rosi animi vir Pinchas, injussus, inpudicum hominem, & illustri loco ortam apud Moabitas mulierem transfixit.

15. Trans Arnon torrentem, ubi is Asphaltiti lacui miscetur, erat *Lasa*, quæ post à fontibus, dissimili prorsus indole confluentibus, *Callirhoë* dicta fuit. Huc olim Herodes Magnus, fœdo morbo & vario excruciatus, calidis aquis fovendum se deportari curavit, frustra. Aquas has non modò vim habere medicam, sed & potui gratas esse scribit idem.

Joseph. XVII. *Antiq.* 8. & I. *Belli.* 21.

16. Quin locum ipsum, & naturam fontium luculente satis exprimit. *Fluunt*, inquit, *ex eo loco aquarum fontes, etiam calidarum, multum inter se sapore diversi. Alii namq; amari sunt; aliis nihil dulcedinis deest. Multi autem frigidæ aquæ ortus non solum in humilioribus locis fontes alternos habent; sed quod amplius quis miretur, in proximo spelunca quadam cernitur, non quidem altè cava, saxo autem imminente protecta.*

Lib. VII. *Bel. cap.* 25.

17. *Super hac veluti duæ mammæ, inter se paullulum distantes, eminent: & altera quidem frigidissimum fontem, altera calidissimum fundit: qui mixti lavacrum suavissimum præbent, multisq; morbis ac vitiis salutare; maximè verò nervorum curationi conveniens: habetq; idem locus metalla sulphuris & aluminis.*

18. Effluebant & hæ, tam amœnæ ac pulchræ aquæ, in mare mortuum: ut idem scribit Josephus; qui & hisce & oleo calidiori, ex sententia medicorum usum Herodem, corpus universum in solium quoddam repletum oleo demisisse ait. ita autem resolutum id fuisse, ut etiam lumina, quasi mortuus distorqueret. Neq; multo post apud Hierichuntem, infestum pariter atque invisum Deo ac hominibus spiritum efflavit.

Iisdem locis.

XVII. *Antiq.* 10. I. *bel.* 21.

19. Non

Joseph. XIII. XIV. & XVIII.

19. Non longè inde *Macherus* aberat, castellum pulcherrimum & longè munitissimum, in edita atque ardua, & undique prærupta rupe structum, cum oppido subjecto, prope mortuum mare, eo loco ubi Jordanis lacui isti sese miscet: cujus sæpe mentionem facit Josephus, & quæ ratio ejus fuerit, ostendit.

Joseph. XIII. 42. XIV. 10. 11 XVIII. 7. *sed maximè* 7. *bel.* 25.

20. Alexander, rex Judæorum, propter loci commoditatem, id castellum primo ædificavit. Herodes Magnus idem amplificavit, & mirifice ornavit. In eadem arce filius illius Herodes Antipa *Joannem Baptistã*, virum sanctum & innocentem, eoq; populo mirificè carũ, prætextu quodam usus, & in vincula compegit, & capite tandem multavit: qui & hîc sepultus scribitur, uti & Elisæus atq; Abdias prophetæ.

Idem. XVIII. *Antiq. c.* 7.

21. Propter necem sancti illius viri, postea divina ultione exercitus Herodis, quem adversus Aretam Arabum regem miserat, interiisse creditus est. Josephi verba hîc illustria, & omnino huic libello inserenda. *Apud Judaos*, inquit, *opinio fuit, justa ultione numinis deletum Herodis exercitum: propter Joannem, qui Baptista cognominatus est.*

22. *Hunc enim tetrarcha necavit, virum optimum, Judaos excitantem ad virtutum studia & inprimis pietatis & justitia: simulque ad baptismi lavacrum. quod ita demum Deo gratum ajebat fore, si non ab uno tantum alterove peccato abstineant, sed animis per justitiam prius mundatis addant & puritatem corporis.*

23. *Quumq; magni concursus ad eum fierent, plebe talis doctrina avida, Herodes veritus, ne tanta hominis auctoritas defectionem aliquam pareret, quod viderentur nihil non facturi ex ejus consilio, judicavit satius esse, priusquam novi aliquid*

exori-

exoriretur, illum tollere, quam rebus turbatis seram pœnitentiam agere. Itaq; vinctum missum in Macheruntem, illic occidi imperavit. quod factum sequuta est Judaeorum existimatio, ab irato Deo perditum esse Herodis exercitum.

24. Sancta Evangelistarum historia hanc offensionis caussam edit, quod ob abductam à Philippo fratre uxorem Herodiadem objurgatus esset. quam rem plenius etiam exponit Josephus, Judaïcæ religioni ita deditus, uti non insectetur Christianam.

Matth. XIV. *Marc.* VI. *Luc.* III. *Joseph.* XVIII. *Antiq. c.* 7.

25. Idem & de *Ruta* inusitatæ magnitudinis, quæ ibi multos annos steterat, & quo casu in potestatem Lucilii Bassi venerit castellum, memorat diserte satis.

VII. *de bel. Judaic. c.* 25.

20. Non longe hinc aberant montes *Abarim*, qui longo tractu ad montes usque Galaad à Moabitide procurrunt, & Ammonitas ab Amorrhæis separant.

27. Horum montium pars editior *Nebo* dicta est: vertex autem ipse *Phasga*: unde Mosi, jam morti vicino, Dominus terram promissam universam, à Dan usque in Bersabee, commonstravit, & ad mare magnum usque. neq; ita multo pòst defunctum ibi sepeliit ipse. Castra Israelitæ XLI. ad montes Abarim habuerunt.

Num. XXI. & XXVII. *Deut.* XXXIV.

28. E regione montis hujus *Phogor* erat, ipse quoq; editissimus, & præruptus mons. In quem Balac rex Moabitarum duxit Balaam, hariolum è Mesopotamia accitum, qui populo Israelis, castra in propinquo habenti, aliquoties benedixit, quum devovere eos diris esset jussus.

Num. XXIII. & XXV. *Deut.* III. & IV.

29. Habebat tum populus castra XLII. in *Campestribus Moab*: ubi Moses populum iterum recensuit, & Josuam successorem sibi designavit, Deuteronomion quoque hic populo Israelitico interpretatus est. Idem populum

Num. XXII & *seq. Deut.* I. II. III. & XXXI.

pulum acriter officii admonuit: eidem benedixit, & carmen illud extremum cantavit, de beneficiis Dei in populum suum: verè cygnæam, ut loquuntur, cantionem.

30. Prope eos campos erant loca aliquot idolo Baal consecrata, ab eoq; nomen adepta, quod idolum gentes profanæ pro Deo venerabantur.

Num. XXI. *Deut.* II. *Jud.* XI.

31. In extremis Rubenitarum finibus erat *Esebon*, urbs magna, & multorum domina pagorum, in monte sita. Cui, Mose cum Israelitarum multitudine adventante, imperitabat Seon, rex Amorrhæorum. Quo occiso, Rubenitis urbs cessit, ab iisq; concessa est Levitis.

Gen. XIV. *Num.* XXXI. *Deut.* II. *Jos.* XIII.

32. Non longè ab illa aberat *Cariathaim*, urbs pervetusta in his oris, quam olim gigantes possederant, Emim dicti, quos devicit Chodorlahomor Abrahami patriarchæ temporibus. Postea Moabitæ eam tenuere: quibus ademtam instaurarunt Rubenitæ. Prophetarum & de hac, & de aliis vicinis urbibus multa exstant vaticinia.

II. *Reg.* II.

33. In campestribus Moab ille quoque locus erat, unde Elias Propheta equis ignitis & curru è terris subvectus est. Hic locus non longè à Jordane fluvio distabat.

Matth. III. *Marc.* I. *Luc.* III. *Joann.* I.

34. Ad eundem fluvium, propius mare mortuum, etiam *Bethabara* fuit, locus ministerio Joannis illustris, ubi ipse quoque mundi servator JESUS CHRISTUS ab eodem baptisatus videtur. Quo tempore æternus Pater de cœlo testimonium ei divinitatis perhibuit: & Spiritus sanctus instar columbæ supra eum sese demisit.

35. Vicina ei oppida, *Livias*, *Bosor*, *Sethim*, quæ inter Bethabara & Machæruntem interjecta, illius celebritatem æquare non possunt. Huic enim propter baptismum Joannis, & illustre miraculum ibi editum, quo se divina majestas

jestas orbi manifestissimè patefecit, magnus honos habitus est ab hominibus piis jam olim.

36. Hieronymus ejus rei satis locuples testis. *Bethabara trans Jordanem. ubi Joannes in pœnitentiam baptizabat: unde & usq. hodie plurimi de fratribus, hoc est, de numero credentium, ibi renasci cupientes, vitali gurgite baptizantur.*

Lib. de Locis Habraicis.

37. Quæ hodie loci facies sit, quæ fluminis indoles, Gallicus ille eques & Jurisconsultus, qui ipse ea coràm inspexit, non male exposuit. *Jordanis*, inquit, *quo loco Christus baptizatus fuit, ruinoso ædificio est insignis: dignus plane longè clariore titulo, ubi pater cælestis adfuit in voce: spiritus sanctus in specie columbæ, & filius in carne humana, baptimum humanæ salutis remedium, & januam sacramentorum, erat consecraturus.*

Bartolom. de Saligniaco. Tom. IX. cap. 6.

38. *Hîc ergo flumen sanctum omnes peregrini ingressi, & corpora lavimus, & animas: illa à sordibus, has à peccatis, res summi gaudii atq. salutis; nisi tristis casus gaudia nostra turbasset. Nam medicus quidam Gallus, nostræ societatis, vir probus, quum flumen paullo longius ingrederetur, captus Crocodilo (Draconem dicas, aut bestiam, incertum) absorptus fuit, non sine communium fratrum nostrorum tristitia.* Hactenus ille.

39. Apparet, ut opinor, ex hisce pauculis, magna devotione adiri atq; iniri solita loca, vestigiis sanctorum hominum, ipsiusque adeò mundi Servatoris illustria, aut ob memoriam rerum in iis gestarum non injuria religiosis omnibus veneranda. Talis Bethabara omnino, ubi Joannes baptisavit, ubi Christo divinæ majestatis testimonium sæpius tribuit, & delatum sibi ab Judæorum proceribus honorem Messiæ, ut indebitum, constanter repudiavit.

Joan. I. aliquot locis.

40. Porrò non longè supra Bethabara locus est, ubi popu-

Josu. III. Sirac. XXIV.

*Joseph.v.Antiq.1.Adde Psalm.*cxiv.

populus Israeliticus duce Josua, siccatum divinitus Jordanem pedibus trajecit: indeq; loco nomen inditum quibusdam videtur. Significat enim Bethabara domum trajectus, sive vadi.

41. Fuit autem miraculum illud divisi fluminis, & in altum quasi aggere objecto excrescentis, eo illustrius, quòd eo anni tempore (messis erat) more suo plenis ripis ferebatur. Nam quum sacerdotes, Arcam fœderis humeris suis gestantes, pedes in alveo fluminis posuissent, aquæ partim ad mare mortuum decurrerunt, partim in sublime erectæ sunt,, quasi refugientes Arcam Domini contingere. Ita populus universus, sine ponte aut navibus, securus, pedibus siccis est transgressus: & locus, ubi steterant pedes sacerdotum, lapidibus XII. signatus ab imperatore Josua.

*Josu.*IV.

42. Superato jam flumine in *Gilgal*, sive Galgalis castra posuerunt Israelitæ. *Exercitus*, inquit Josephus, *quinquaginta stadia progressus, ad decimum ab Hierichunte stadium castrametatus est.* Est is locus citra Jordanem in tribu Benjamin. quæ enim trans fluvium sunt, hactenus exposita, Rubenitis concessa fuerant.

*Jos.*IV.*&* V. *Joseph.*V. *Antiq.*1. *Hieron. de Loc, Hebr.*

43. In citeriori igitur ripa & lapides XII. statuerunt, quos monitu Josuæ de fundo Jordanis, ubi pedes sacerdotum, arcam portantium, steterant, pro numero tribuum sustulerant; monumentum perpetuum tam insignis miraculi: (Josephus aram ex iis structam ait) & Pascha primum celebrarunt. Circumcisi item, qui in deserto nati fuerant: & fructibus terræ vesci populus cœpit, deficiente jam Manna, quo annis XL. multitudo tanta victitarat.

44. Castra heic stativa dux Hebræorum Josua habuit.

buit,& Tabernaculum Domini defixit: quod diu sanè hoc in loco videtur stetisse. Veneratio quidem ei diu mansit integra. Nam & Saulo, primo Israelitarum regi, hîc regnum confirmavit vates & gubernator hactenus ejusdem populi Samuel, & populus universus.

1. Sam. XI.

45. Hieronymus præter superiora pleraque, Golgol, sive Galgalam, (ita is locum appellat) *ad orientalem plagam antiquæ Hierichus cis Jordanem statuit. Cecidit autem,* inquit, *in sortem tribus Judæ, & ostenditur usque hodie locus desertus in secundo Hierichus milliario, ab illius regionis mortalibus miro cultu habitus.* Borchardus in hunc diem nomen illud servare locum ait.

De Loc. Hebr.

Borch. VII. §. 27.

46. Saligniacus, *Abest,* inquit, *Hierichunte duobus milliaribus Galgala olim urbs inclyta; nunc ne pagus quidem. A qua spacio V. milliarium est sacellum divo Joanni Baptistæ sacrum. & fama est hinc non longè JEsum à Joanne baptisatum: cui scriptura sacra consentit.*

Tom. IX. *c.* 5. *Matth.* III.

47. Non procul inde distat *Vallis Achor,* in qua lapidibus obrutus à populo est Achan sacrilegus. Mons item excelsus *Quarentana:* in quem subvectum quidam putant Servatorem nostrum fuisse tum, quum tentaretur à diabolo. Borchardo monacho mons hic *est altus nimis, & adscensu difficilis.* Addit tamen: *Tentatus autem fuit in alio monte, qui duabus leucis distat à Quarentana, supra in deserto, à latere australi Bethel & Hai.* De quo paullo post agetur.

Jos. VI. & XXII *1. Paral.* II. *Joseph.* V. *Antiq.* I. *Matth.* IV. *Borch.* VII. §. 28.

48. Saligniaco *mons hic est, in quo Salvator noster tentatus fuit, & XL. diebus jejunavit: prealtus, à fonte Helisai dimidio milliarii distans. In hujus montis cacumine sacellum est ruinosum, jejunio & oratione Christi venerabile. Sunt & aliæ sex cryptæ in memoriam hebdomadum, quas Christus suo jejunio & oratione consecràvit.*

Luc. x.

49. A monte Quarentana *desertum* vicinum appellationem traxit, quod Hierichunti contiguum, transeundum erat Hierosolymis huc, aut hinc illuc pergentibus. ad quod Servator alludere putatur, recitans parobolam de homine à latronibus despoliato & graviter vulnerato.

II. *Reg.* II.

50. Ab eodem monte non longè distabat *Fons Elisæi,* cujus historia è libris regum non ignota. Aquas enim ejus fontis insalubres, & incommodas usibus habitatorum, propheta ille, precibus civium Hierichuntis adductus, dejecto in eum sale emendavit, & suaves ac salutares effecit; fœcundas etiam ad generandam sobolem, ut narrat Josephus.

Lib. v. *bel. Jud. cap.* 4.

51. Mira certè sunt, quæ is scriptor, de indole fontis hujus, indeque dimanantis fluminis memorat, etiam de regione hac universa. quædam saltem ex eo huc transscribenda sunt in gratiam lectoris. reliqua ex ipso petantur.

52. Igitur, præter jam dicta, hæc quoque habet. *Amplius quam ceteri fontes spacium rigat. Et* LXX. *quidem stadiis longam*, XX. *autem latam planiciem permeat. Optimos autem in ea paradisos ac densissimos educat, palmarumq; irriguarum genera, tam sapore, quam nominibus varia: quarum pinguissima calcibus pressa, plurimum mellis emittunt, non multum alio melle deterius.*

53. *Quanquam & mellis altrix est illa regio, & opobalsami ferax, qui omnium charissimus fructus est ibi nascentium: itemque cyprum & myrobalaum gignit: ut, qui divinum esse illum tractum dixerit, non erraverit: ubi & larga & optima generantur, quæ sunt charissima.*

54. *Sed nec in aliis ei fructibus aliqua facile toto orbe regio certaverit, adeò multiplicatum, quod satum est, reddit. Cujus*

jus rei caussa mihi videtur esse aquarum vis læta, & acris color: quum hic provocet, quæ nata fuerint, atq; diffundat: liquor autem firmis singula radicibus stringat, viresq; suggerat æstivo tempore: quo sic perusta est illa regio, ut nihil facile procedat ac pullulet

55. *Aqua tamen, si ante solis ortum hauriatur, auræ spiritu refrigescit, naturamq; contrariam acri sumit. Hyeme verò contepescit, eaq; mersis mitissima efficitur. Tanta est autem cœli temperies, ut, quo tempore in alia regione Judææ ningit, lino tantum illic indigenæ vestiantur.*

56. *Distat ab Hierosolymis* CL. *stadiis, & ab Jordane stadiis* LX. *totumq; habet ab Hierosolymis spatium desertum atq; saxosum. Ad Jordanem verò, & lacum Asphaltiten, licet humilius, aquè tamen incultum ac sterile.* Hactenus Josephus.

57. Borchardus, *sub Quarentana*, inquit, *fere jactu duorum arcuum oritur fons Helisæi, cujus aquas, quum essent amara & steriles, dulcoravit Helisæus immissione salis.* Et mox. *Fons ille decurrit juxta Golgalam à parte australi, impellitq; molendinum: deinde in rivos divisus irrigat canamellas & hortos: demum in Jordanem se recipit.* *Cap.* VII. §. 29.

58. Hæc iisdem pænè verbis refert Salignacus; & addit, *Prope hunc fontem arbores crescunt instar prunorum, spinosa tamen. in quibus flores nascuntur, quas* rosas Hierichuntinas *vulgus appellat: mirandi effectus. Nocte enim natalitiâ nostri Servatoris paullatim hiant, atq; se recludunt, licet siccæ sint atq; aridæ, in testimonium virginei partus atq; conceptus. ut credere licet. Dicuntur etiam parturientibus mulieribus esse remedio.* *Tom.* IX, *c.* 6.

59. Sequitur dein ipsa *Hierichus*, quæ & *Jericho* appellata, urbs magna quondam, populosa & permunita; eadem *Joseph.* IV. *Antiq.* 5. &

v.1. & xiv.7. & xv.5. & aliis locis non paucis.
Deut. xxxiv.
11. *Paral.* xxviii.
v. *Nat. hist.* 14. *Strab. lib.* xvi.

eadem miræ amœnitatis atq; ubertatis agrum habebat. Rosas enim generosissimas, & nobilissima possidebat palmeta: unde & palmarum urbs est dicta. Balsamum verò, liquorem incredibilis fragrantiæ, prope solus ager Hierichuntinus gignebat.

60. *Hierichus palmetis consita, ut Emmaus fontibus irrigua,* Plinio quoq; notæ sunt, neq; Straboni aliisq; ignota prorsus est hæc urbs. Multo verò notior Josepho, in cujus historia, ut & sacris literis, frequens ejus mentio.

Josu. vi.
11. *Maccab.* xii. *Ebr.* xi.
Jos. v. *Antiq.* 1

61. Josua, dux Hebræorum, eandem, validis muris cinctam, non aggeribus, neq; turribus excitatis, non actis vineis, non arietis impulsu, nec ullis aliis machinis bellicis, expugnavit, sed clamore populi sublato, & clangore tubarum subversis mœnibus. Omnes tum ejus habitatores interfecti sunt, exceptâ Raab, quæ exploratores texerat & conservarat antè.

Josu. vi.
1. *Reg.* xvi.

62. Etsi verò Josua diris eum devoverat, qui instaurare dirutam urbem conaretur, tamen extitit aliquot seculis pòst Ahiel de Bethel, civitate Ephraim, qui eam quasi è cineribus eruere atque excitare non dubitaret, etsi non impune. Eas enim domus suæ clades expertus est, quas tale quid ausuro minatus fuerat Josua, quum urbem eam exscinderet.

11. *Reg.* 11.
Joseph. v. *bel.* 4.

63. Postea magni sanctiq; viri in ea vixerunt: cumprimis Elisæus propheta, qui eximium in eam contulit beneficium, ut antea dictum fuit. Quum Judæa in quinque toparchias à Gabinio distribueretur, Hiericho una earum fuit.

Joseph. xvii. *Antiq.* 10.

64. Herodes Magnus, ejusque filius Archelaus magnam ei dignitatem addiderunt, exstructis splendidis in ea, sive ad eam, operibus. In iis fuit Amphitheatrum, in

in quo exercitus fidem suam Archelao, post mortem Herodis obstrinxit: & Cypros castellum, quod de nomine matris suæ ita dixit Herodes.

65. Christus Servator noster & Zachæum hîc publicanum in numerum suorum allegit, & Bartimæo cæco, valde id eum roganti, usum oculorum reddidit. Aliis item duobus, quum inde discederet.

Luc. xix. Marc. x. Matth. xx.

66. Ab Imp. Vespasiano eversa bello Judaico, instaurata denuò scribitur ab Adriano. Gemina igitur fuit urbs Jericho. Prior ab Josua excisa; altera ab Vespasiano. nisi quis tertiam etiam numerare velit eam, quam Adrianus restituit.

Joseph. v. bel. 4.

67. Montem nudum ac sterilem eidem impendere, eundemq; longissimè procurrere, ait Josephus, qui regionem hanc universam pulchrè expressit: & duas urbes, veterem illam, & novam locis etiam distinctas fuisse ostendit. Strabo, theatri instar, regionem eam montibus cingi auctor est.

Joseph. ibid. Strab. xvi. Plin. xii. 25. Just. xxxvi. Solin. cap. xxxviii.

68. Hieronymus de utraq; vel potius de tribus urbibus Jericho, hoc loco, diverso tempore structis, ita: *Jericho urbs, quam Jordane transgresso subvertit Jesus, rege illius interfecto: pro quo exstruxit aliam Ozam de Bethel, ex tribu Ephraim: quam Dominus noster atq; Salvator sua præsentiâ illustrare dignatus est. Sed & hac eo tempore, quo Hierusalem oppugnabatur, à Romanis propter perfidiam civium capta atq; destructa est. Pro qua tertia ædificata est, quæ usq; hodie permanet: & ostenduntur utriusq; urbis vestigia usq; in præsentem diem.*

De Loc. Hebr.

69. Posteriori ævo & illa vastata atque excisa est, armis, ut videtur, Saracenorum, ut vix hodie vestigium pristinæ illius felicitatis exstet. Borchardus monachus *vix*

Cap. 7. §. 30.

IX. *domus habere eam scribit, nec mereri vel parvam dicit villam: omniaq́ monumenta sanctorū locorum penitus esse deleta.*

Tom. IX. cap. V.

70. Saligniacus sitam ait *inplanicie, ruinosam, ut vix decem domus habitatas habeat, urgente divinâ sententiâ, & imprecatione Josua.* Et mox addit, *nunc tam abjectam esse, quam olim inclyta fuerit.* Et iterum: *Nunc unica turris semirupta hic visitur. reliqua omnia miraculorum insignia, vel tempore legis, vel tempore Evangelii facta, deleta sunt.*

II. Reg. XXV.

71. Prope eam erant *Campestria Jericho* dicta, in quibus Sedechias rex Juda captus à Chaldæis, abductusque est ad Nabuchodonosorem, à quo erutis oculis, catenis vinctus, raptus est captivus in Babel: quum antè & patriam vastari, urbemq; regiam Hierosolyma capi diripique, & liberos in conspectu suo mactari vidisset.

Jerem. XXXIX & LII.

72. Campus hic solitudinis etiam putatur esse prophetæ, montibus undique cinctus horridis: cujusmodi totum illud spacium esse proditur, quod à Jordane fluvio ad Hierichuntem, indeque porrò Hierosolymam pertinet.

Tom. IX. cap. V.

73. Saligniaci de eo verba non omittenda. *Ego nihil hic dicam,* inquit, *præter id unum, quod iter ab Hierusalem difficillimum est, lapidosum ac asperrimum, cui simile me vidisse non memini.* Et mox perveniri Hierosolymis ad Jordanem, *itinere difficillimo, arido & penurioso: in quo emptile nihil invenias, nec prece, nec precio; nisi JEsum quempiam tecum ducas, qui aquam vertat in vinum, & lapidibus istis dicat, ut panes fiant; & sic nuptias præsente Jesu facies in Cana Hiericho.*

74. *Est plane notatu digna planities inter Hiericho & Jordanem decem millibus (passuum) lata, longa viginti. per quam euntibus nobis plus minus centum ex fratribus languerunt, ob nimios solis calores, & labores itineris.* Hactenus eques ille, de Jericho urbe, & campo vicino.

75. Idem

75. Idem ita pergit de loco alio: *Hic orientem versus* Bethagla *videtur, vetustæ memoriæ locus, dictus hebraicè Bethagla, id est, domus planctus, vel mœroris: eo quod ibidem Joseph, & reliqui filii Jacob; deducentes corpus patris, planxerunt* VII.*diebus*. Borchardus duabus leucis ab Jericho juxta mare mortuum esse scribit hunc locum.

Adde Borchard. c. VII. §. 51.

76. *In hoc loco nunc habitant Monachi Græci, de canone Sancti Basilii, quorum cœnobium distat à Jordano duobus millibus. Hi cœnobitæ non utuntur forpicibus, novacula aut cultris, sed pilos crescere permittunt instar Nazaræorum.*

77. Ceterùm, (ut paullum hîc deflectamus ad meridiem,) in tribu Juda oppidulum *Segor* erat, olim *Zoar* appellatum: in quod fugit cum filiabus suis, Sodomis per angelos eductus Lothus, ibiq; servatus est, vindice Dei manu regionem eam universam flammis ultricibus evastante. Precibus enim suis ab hoc oppidulo perniciem averterat idem vir sanctus. Uxor ejus ob neglectum Dei mandatum in statuam salis ibi obriguit, ut notum est è sacra historia, & jam ante indicatum.

Gen. XIX.

78. Monachus noster, *Post Jericho*, inquit, *contra austrum est Segor oppidum, &c. Situm est autem sub monte Engad, inter quod & mare mortuum est* Statua Salis, *in quam conversa est uxor Loth. quam ut viderem, ingentes subii itinerum labores. sed nec desiderium meum complere datum est, Retulerunt si quidem mihi incolæ locum esse inaccessibilem, vel saltem non sine periculo mortis, propter feras immanes, & serpentes: præcipuè verò propter Beduinos, qui loca illa inhabitant, inhumani, & pessimorum morum.*

Cap. VII. §. 34.

79. Saligniacus hac parte felicior, qui statuam eam vidit, *durantem*, ut ait (*mirum dictu*) *atq; in æternum duraturam*

Tom. IX. c. 6.

turam. Verùm timens pestiferam regionem, divertit cum sociis itineris sinistram versus Hiericho, ubi amœnus fons est Helisai prophetæ, de quo diximus.

80. Jam igitur pergamus itinere, quod Hierichunte ducit Hierosolymam. Id tætrum esse, ac horridum, jam diximus, neque tamen ob soli tantum asperitatem ac inopiam, & inclementiam cœli, sed & latronum sævitiam ac violentiam, in transeuntes viatores incurrentium.

Adrichom.

81. In ea via est *Adomim*, locus homicidiis frequentibus & latrociniis infamis. *Adomim*, inquit Hieronymus, *quod interpretatur sanguinum: quia multus in eo sanguis crebris latronum fundebatur incursibus.* Itaque & ἀνάβασις πυῤῥῶν, id est, adscensus rufforum dictus locus est, & castellum ei additum cum militibus, qui viatoribus præsidio forent.

Epitaphio Paulæ. Plura lib. de Loc. Hebr.

82. Hodie quoque loci illius macula manet: certè Borchardi ævo nondum erat sublata. Sic enim ille: *Ex Jericho,* inquit, *quatuor leucis contra Occidentem via qua ducit Jerusalem, ad sinistram Quarentanæ, est castrum Adomim: ubi secundum Lucam, quidam descendens ab Jerusalem in Jericho incidit in latrones: quod & modernis temporibus multis contingit. & à frequenti sanguinis effusione locus ille nomen accepit. Est enim horribilis visu, periculosus valde, nisi quis fuerit cum optimo comitatu.* Saligniacus, *Hic videtur*, inquit, *quædam caverna profunda, super quam olim erectum fuit ædificium.*

Cap. VII. §. 40.

Luc. X.

Tom. IX. cap. IV.

83. Propius Hierosolymam ocurrit *Bahurim* castrum. Quo in loco Davidi, arma filij Absolomi scelerata fugienti, occurrit vir petulantis ac maledicæ linguæ, animi incontinentis ac manus, Semei: qui non convitia tantum & maledicta, sed & lutum & lapides in extorrem jactabat.

II. Sam. XVI.

II. Sam. III.

Huc

Huc usque Phaltiel etiam Michol uxorem ſuam, Sauli filiam, ad Davidem reductam, flens eſt proſecutus.

84. De hoc caſtro monachus noſter: *Ex Adomim duabus leucis contra Occidentem eſt caſtrum Bahurim de tribu Benjamin &c.* Et porrò: *Eſt Caſtrum perpulchrum & valde munitum, in loco alto conditum. Inferius autem in valle contra Orientem, in via regia, eſt lapis, dictus Beon Ruben, magnus in modum clibani, videturq; eſſe marmor.* Cap. VII. §. 41.

85. A caſtro Bahurim prope aberat *Bethania*, caſtellum, itidem in via Hierichuntina ſitum: de quo, jucundo Servatoris noſtri diverſorio, jam antè dictum fuit.

86. In Septentrionem ab Adumim non longe diſtabant illuſtria loca *Bethel* & *Hai*, quorum in peregrinatione patriarchæ Jacobi mentio. Is enim metu fratris in Meſopotamiam fugiens, *in Bethel*, quæ prius Luza dicta, ſub dio pernoctavit: ubi per quietem ſcala menti ejus obverſata eſt, per quam angeli Domini adſcendere ac deſcendere viſi, & Deus ipſe vertici ſcalæ innitens, felicitatem ſummam viro pollicens. Itaque idem aram Deo hic poſtea exſtruxit juſſus, ibiq; eum aliquamdiu veneratus eſt. *Gen.* XXVIII. *Hieronym. Epitaph. Paulæ & Quæſt. in Geneſ. Geneſ.* XXXV.

87. Debora etiam, Rachelis nutrix, hîc ſepulta ſub quercu fuit. Quum diu Bethel officina piarum precum fuiſſet, & domus Dei appellata, Jerobeam ſedem idoli eam fecit, aureumq; vitulum hîc dedicavit; unde *Bethaven*, id eſt, domus idoli dicta eſt. Joſias, Rex pius Judæ, nefariam ſuperſtitionem tandem exſtirpavit magno pietatis ſtudio: id quod vates quidam multo antè Jeroboamo prædixerat futurum, Joſiâ nominatim appellato, & miraculo inſigni fidem vaticinio ſuo fecerat. *Hieron. de loc. Hebraïcis.* I. *Reg.* XIII. II. *Reg.* XXIII.

88. Erant & *montes Bethel* in vicinia oppidi illius, amœni herbis atq; arboribus. quo quum adſcenderet He- II. *Reg.* II.

lisæus, indomiti spiritus vates, irrisus fuit à puerorum caterva, ob calvitium. In quos statim diris ab ipso devotos, irruerunt ursi duo. & XL. pueris interemtis castigarunt graviter improbæ linguæ petulantiam.

Josu. VII. & VIII.

89. Non longè ab oppido Bethel aberat in Occidentem *Hai*, sive *Ai*, oppidum: quod ex insidiis tandem cepit, & incendit Josua dux Hebræorum, captumq; regem ejus suspendit de arbore, ac mortuum lapidibus obruit.

1. *Sam.* XIII. & XIV.

90. Vicinum ei oppidum *Bethaven*, à Bethel distinctum. quo loco Philistæi, Jonathæ victoriâ irritati, castra posuerunt, bellumque Saulo regi fecerunt, Quos inaudito exemplo solus ille heros (Jonathanem dico) cum armigero uno, quum per rupes arduas erepsissent, in fugam dedit, victoriamq; illustrem populo Israelitico peperit.

Ibid.

91. Vicinus ei est *saltus*: inquo quum paullum mellis, pugnando jam fessus, & paternæ obtestationis ignarus, gustasset, pænè interemptus sævis duri patris imperiis fuit. Nam populus eum, virtuti tantæ jure favens, ægrè furibundo eripuit.

Matth. IV. *Luc.* IV.

92. Est in his oris & *mons*, *Diaboli* appellatus, in quo is Christum servatorem eo raptum tentasse creditur, & impudentissimè postulavisse, ut in terram prostratus se adoraret, superbissimum, eoq; infelicissimum spiritum: pollicitus ita mendaci ore, omnia regna mundi, omnemque potentiam.

Tom. IX. *cap.* I.

93. Si cui in mentem veniat, quod de Quarentana deserto dictum ante fuit, audiat Saligniacum ista conciliantem. *Prima*, inquit, *tentatio fuit in monte Quarentana: secunda in monte jam dicto: tertia in pinnaculo templi.* Mons hic duobus miliaribus abesse scribitur à Bethel & Hai, in meridiem non longè distans.

94. Prope

94. Prope item inde aberat *Giscalis* oppidum. Ex quo Paulus Apostolus fertur oriundus, capto eo ab Romanis, Tarsum cum parentibus commigrasse. *Petra* item *Remmon*, quæ Josepho est Roob, oppidum sibi additum sustinens. In hac DC. olim viri, Benjamitarum reliquiæ, sese occultavere: unde tribus ea pòst instaurata, quum reliquarum tribuum armis prope tota excisa ob libidinem importunam fuisset.

Hieronym. de Script. Eccl.

Jud. xx. & xxi. *Joseph.* v. *Antiq.* 6.

95. Ab eadem petra non longo dissitæ erant intervallo, *Anathot*, civitas sacerdotalis, natale solum Hieremiæ prophetæ, qui agrum ibi à patruele suo emit. *Gabaath* item, ubi Eleazarus Araonis F. Pontifex patri suffectus, scribitur sepultus.

Jerem. LXI. & *sæpe alibi.*

Josu. XXIV. *Hieron. de Loc Hebr.* & *Epitaphio Paulæ.*

96. Erat in his oris etiam *Gabaa*, patria & domicilium primi regis Judæ Sauli, unde & cognomen interdum sumit. In hac urbe nefarium illud, jam ante regum tempora, patratum est scelus in concubinam Levitæ, ob quod universa tribus funditus prope exstirpata est armis ceterorum. Ad Gabaa in monte, septem de posteris Sauli in crucem sublati sunt à Gabaonitis, permissu Davidis.

Jud. XIX. & *seq.* *Borch.* VII. §. 23.

II. *Sam.* XXI.

97. Ex adverso illius urbis in meridiem in monte sita erat *Rama*, tribus Benjamin. nam aliis quoque tribubus ejus nominis oppida fuére. Baasa rex Israelis eam reparavit ac munivit, unde in Judæam incurreret. Ab hac Rama tribus leucis in Austrum absunt Hierosolyma, teste Borchardo.

Borch. VII. §. 24.

I. *Reg.* XV. II. *Paral.* XVI.

98. Inter Rama & Gabaa interjectus est *lapis Ezel*, ad quem Jonathan, fidus & constans amicus Davidis, iratum patris sui animum, ut convenerat, aperuit, quum jaculis se hic exerceret.

I. *Sam.* XX.

99. Vicina erat & *Silo* oppido Rama. Verùm quia id ad

Josu. IX. X. & *seq.*

id ad Ephraemeticam tribum pertinet, ſuo loco de eo agemus. Ei porrò vicina *Gabaon*, metropolis Hevæorum, ſita in monte, exiguo intervallo diſtans Hieroſolymis.

100. Hujus urbis legati ad Joſuam, in Galgalis caſtra habentem, venerunt: & quum longinquis è terris venire ſe dicerent, fidemque ei fallacibus quibusdam indiciis facerent, ut fœdus ſecum feriret, dolo eum impulerunt. Servati igitur ſunt, & Nathinæi facti, id eſt, qui miniſteria ſervilia tabernaculo præberent.

II. *Sam.* XXI. I. *Par.* XVI. II. *Par.* I. I. *Reg.* I. IX. *&c.*

101. Hos quum delere poſtea Saulus rex deſtinaſſet, trium annorum fame caſtigatus cum regione omni eſt. Tabernaculum Domini hîc quoque aliquando ſtetit. Ad quod Salomon, immolatis ſupra æneum altare mille victimis; ſapientiam à Deo precibus expetitam impetravit.

II. *Sam.* XX.

102. Prope Gabaon, *Fons* erat, & *Lapis grandis*, ad quem Joab, Amaſam novum Davidis ducem, invidiâ ſtimulante, dolo circumventum occidit. Ad fontem & piſcinam XII milites è copiis Davidis, cum totidem delectis ex Iſboſethi exercitu, infeſtis armis concurrerunt, ſeq; mutuis vulneribus confecerunt: unde loco nomen inditum *Ager robuſtorum.*

II. *Sam.* II.

Joſ. X.

103. Heic pugnante Joſuâ adverſus quinque reges Amorrhæorum, ſol & luna, imperante ipſo, curſum repreſſerunt. Tandem & *Bethoron*, cognomento *inferior*, quam Salomon inſtauravit, hîc erat; & alia quædam minus illuſtria oppida.

I. *Sam.* XXI. & XXII. *Matth.* XII. *Marc.* II. *Luc.* VI.

104. Poſtremò *Nobe*, quæ & Nob, urbs ſacerdotalis, ita propinqua Hieroſolymis, ut hæc proſpici ex illa poſſent. Huc fugiens David ab Abimelech ſacerdote gladium Goliathi, & panes propoſitionis impetravit, quos & ipſe edit, & ſociis ſuis diſtribuit.

105. Quam rem ita graviter Saulus rex tulit, ut non ipsum modò sacerdotem, sed præter eum LXXXV. alios innocentes trudicari jusserit; immo utriusq; sexus homines in civitate, ipsaque jumenta funditus exciderit, urbemque everterit, sævitiâ prorsus impiâ & tyrannica.

106. Atq; hactenus fuit tribus Benjamin. Proximum est, ut *ad Ephraim* transeamus, partem terræ sanctæ amplam & latè patentem. quam tamen antè quàm ingrediamur, paucas quasdam etiam urbes maritimas perstringemus, aut à mari non longè remotas; quarum partim ad Ephraim, partim ad Dan est referenda possessio.

107. Ad tribum Ephraim aut Benjamin pertinebat *Ramatha*, quæ & Rama, & Ramula, & Ramathaim, itemque *Arimathæa* dicta, Levitarum urbs, in via, quæ Hierosolymis ducit Joppen, sita in monte Sophim, qui pars est montis Ephraim. *Borchard. c. VII. §. 55.*

198. Hoc & natale solum fuit Samuelis, & domicilium; & ossa ejus possedit, donec ab Arcadio Imperatore in Thraciam transferrentur. Hic Saulum, regem Juda, præter ipsius esxpectationem, oleo sacro, futurum Israelis regem inunxit. *1. Sam. I. XV. XIX. & XXV.* *1. Sam. X.*

109. Ex eodem hoc oppido erat oriundus ille Josephus, senator honestus in primis & dives, qui, tergiversantibus ceteris aut dubitantibus, à Pilato corpus Servatoris nostri, in cruce paullo ante defuncti, petere ausus est: idque refixum, & ritu Judaico honestissimè curatum, obvolutumque monumento suo novo, in petra exciso, intulit, & composuit. *Matt. XXVII. Marc. XV. Luc. XXIII. Joan. XIX.*

110. Sequitur deinde in ipso litore celeberrima urbs *Joppe*, in tribu Dan. Hæc antiquissima creditur, condita ante aquarum diluvium ab Japheto filio Noe. Sita est *Strab. XVI.*

arduo loco atque edito, ut Hierosolymam usque prospectus hinc patere crederetur.

Idem. 111. Littus, quod ab Ægypto huc usque in ortum procurrit, deinceps in septentrionem flectitur. Portus hic erat Judæorum olim, teste eodem, commodissimus. quod è Salomonis etiam constat historia. Trabes etiam cedrinas, in Libano cæsas, huc mittebat, ratibus compactas Hiramus. hinc Salomon terrestri itinere Hierosolymam, ad templi aut domus suæ structuram, deportabat.

Jonæ. 1. Joseph. IX. Antiq. 11. 112. Hic quoque navem conscendit Jonas vates, ut Tarsum in Ciliciam fugeret, Deique conspectui (en hominum consilia!) subduceret, à quò jussus erat Ninum, Assyriæ, urbem petere, eiq; pœnitentiam celerem, aut subitaneum denunciare interitum. Qui verò illum casus tum exceperit, nemini nostrum est ignotum.

1. Macc. X. & seq. 11. Macc. XII. Itineraria recentium vide. 113. Portus hic, quòd commodus ad excursiones foret, occupatus Maccabæorum ævo, & aliàs sæpe fuit. Etiam hodie terram sanctam ex Europa adeuntes hunc prope omnes portum petunt; & hinc terrestri itinere, transeuntes Ramam, adscendunt Hierosolyma.

Act. IX. & X. 114. Petrus Apostolus in hac urbe Tabitham, religiosam cum primis & beneficam fœminam defunctam in vitam revocavit: & apud Simonem quendam coriarium quum diversaretur, à Cornelio centurione Cæsaream evocatus eo perrexit: edoctus paullo antè divino quodam ostento, neminem ut impurum esse aversandum, quem Deus mundasset.

115. Multas hanc urbem, & varias perpessam fortunæ vicissitudines, non equidem ignoramus. Sed hujus loci non est, neq; nostri instituti, eas omnes persequi.

116. Illud

116. Illud tantum indicandum, etiam prophanis scriptoribus ignotam eam urbem non fuisse. Etenim Mela de antiquitate ejus quàm disertè! *Est Joppe, ante diluvium (ut ferunt) condita. ubi Cephea regnasse eo signo accolæ affirmant quod titulum ejus, fratrisq. Phinei, veteres quadam aræ cum religione plurima retinent. quin etiam rei celebratæ carminibus ac fabulis, servatæq. à Perseo Andromedæ clarum vestigium, belluæ, marinæ ossa immania ostentant.*

Mela lib. I. cap. XI. Adde Strabonem. XVI.

117. Plinio quoque *Joppe Phœnicum, antiquior terrarum inundatione, ut ferunt. Insidet collem, prajacente saxo, in quo vinculorum Andromedæ vestigia ostendunt.* Et iterum: *In Phœnicio mari, ante Joppen, est Paria, tota oppidum: in qua objectam belluæ Andromedam ferunt.*

Plin. V. Nat. hist. 13. Lib. V. c. XXX.

118. Eadem illa Solinus quoque habet: & insuper addit de virgine illa, *quam expositam belluæ non irritus rumor circumtulit. quippe ossa monstri illius M. Scaurus inter alia miracula, in ædilitate sua, Romæ publicavit. Annalibus nota res est. Mensuræ quoq. veracibus libris continentur: scilicet quod costarum longitudo excesserit pedes quadraginta: excelsitas elephantis fuerit Indicis eminentior. porro verticuli spinæ ipsius, latitudine semipedem sint supergressi.* Hæc ibi tum visenda, & miranda erant. Monachi nostri ævo ibidem ostendebatur Petri Apostoli hospitium, structo ad mare sub rupibus templo. Urbs *Japha* hodie dicitur, sive Jaffa.

Cap. XXXVII.

Cap. I. VI §. 55.

119. Propinqua in eodem litore ad meridiem est *Jamnia.* cujus portum olim captum cum navibus exussit Judas Maccabæus, flammâ Hierosolymam usque conspicuâ. Ozias rex jam ante muros ejus subverterat. Hoc oppidum medio prope intervallo situm erat inter Joppen & Geth Philistinorum urbem.

I. Macc. IV. V. X. XV. & II. Macc. XII.

II. Paral. XXVI.

Act. IX.

120. In altera parte Joppes, non ita longè à mari submota erat *Lydda*, in qua Æneam paralyticum verbo sanavit divina virtute Petrus Apostolus, mirantibus omnibus, qui Joppe erant ac Saronæ: quorum multi hoc miraculo ad Dominum etiam conversi sunt.

Plin. v. *Nat hist.* 14. *Joseph.* XIV. *Antiq.* IV.

121. Fuit in tribu Ephraim: & Hieronymi ætate dicta est *Diospolis*, non obscura. Una enim erat ex undecim Judææ toparchiis, uti & Hiericho.

122. Atq; hæ potissimæ urbes fuerunt in tribu Ruben & Benjamin. quarum illa fluminibus duobus Arnon & Jordane, hæc eodem Jordane & mari mediterraneo claudebatur.

123. Joppen & Jamniam huic tribui propter vicinitatem adjicimus: etsi in litore maris sitæ, ad Philistinas pertinere fortè urbes nonnemini possunt videri.

124. Ac ita finem habeat prima libelli pars, quæ Judæam, potissimam terræ sanctæ partem complectitur: cui Idumæam, Ægypti partem, itemque Arabiæ Petrææ partem adjunximus: uti ne quid sacrarum literarum studiosi, aut non nimis multa in hoc opusculo desiderent.

SE-





SECUNDA LIBELLI PARS

Quæ habet SAMARIAM.

CAPUT IIX.

De Tribu Ephraim, & vicinis, earumq; urbibus & locis illustrioribus.

1.

ALtera terræ sanctæ pars fuit *Samaria*, uti antè diximus. Ea tribus complexa erat aliquot: quas ordine enarrabimus, exorsi ab Ephraimitica. Cujus ea erat præstantia, eaque potentia, ut pro toto regno Israelis sive decem tribuum interdum Ephraim usurpetur.

2. *Ephraim* contigua erat tribui Benjamin, & præter obscuriores urbes aut oppida, hæc habebat clariora & silentio non involvenda. *Saronam*, cujus mentio jam facta, in monte sitam non longè à mari. A qua urbe regio adjacens, & mari vicina, fertilissima nomen traxit. Campestria enim Saronæ dicebantur. *Act.* IX.

3. Erat & *Gophna* trans Montana Ephraim: à quo Gophnitica toparchia appellata: & *Bethoron*, cognomento *superior*, quam munivit Salomon. Judas Maccabæus insignes aliquot victorias ad eam est consequutus. Putatur & Danielis prophetæ patria. 1. *Reg.* IX. 1. *Macca.* III. VII. IX. & *seq.*

Joseph. XIV. *Antiq.* X. & *alibi sæpe.*

4. Vicinum ei erat *Hyrcanium*, munitissimum castellum: cujus frequens apud Josephum mentio. Nec longè distabat inde *Thamna* sive Thamnata, aut Thamnitica: urbs in monte structa, quam hereditario jure possidendam Josuæ duci tradiderunt Israelitæ: qui heros ibi quoque sepulchrum habuit, magna olim veneratione cultum. Ab ea dicta est Toparchia Thamnitica.

Hieronym. de Loc Hebraic Joseph, in mutis locis.

5. Est & in hac tribu, prope illam urbem *Bethel:* ubi Jeroboam aureum vitulum populo adorandum creditur statuisse: etsi id & de Bethel in tribu Benjamin non'nulli accipiunt, uti dictum.

6. Supra eam *Machmas*, urbs copiosa, & in sacris literis illustris sita erat, in finibus tribus Ephraim & Benjamin austrum versus. In hac Jonathan, Maccabæi frater, domicilium habuit. Saulus olim hanc urbem præsidio duorum millium occuparat; Jonathani vicinam Gabaa tenendam commiserat: cujus virtute Philistæi victi prælio perquam illustri fuére.

I. Macc. IX. *I. Sam.* XIII. & XIV.

7. Ab hac urbe ulterius in meridiem distabat *Silo*, urbibus Benjamiticis undique circumfusa, ut ad hanc potius, quam Ephraemicā pertinere tribum videretur. Atq; adeò ipsis Hierosolymis vicina erat in Acrabatena regione.

8. Sita fuit in altissimo monte, unde prospectus longè lateque in subjectam viciniam patebat. In hac urbe Tabernaculum Domini, à Mose jussu Dei adornatum, cum Arca fœderis præsentiæ divinæ certissimo pignore, diutissimè stetit, eoq; Deum ibi venerabantur Israelitæ, ad tempora usq; Heli Pontificis & Samuelis, quando à Philistinis in prælio capta est Arca.

Josu. XIIX. *I. Sam.* I. & *seq. capitib. Joseph.* V. XI. & XII.

9. In hac urbe convenerunt decem tribus, suspicatæ duarum tribuum, Ruben & Gad, dimidiæq; Manassis de-

Josu. XXII.

fecti-

fectionem ab sese. Quam armis vindicare statuerant, nisi illæ se diligenter satis iis purgassent.

10. Propter gravia populi peccata deindè locum hunc repudiavit Dominus: quod & Hierosolymis postea, eadem de caussa, facturum se minatur. *Ite ad locum meum in Silo ubi habitavit nomen meum à principio: & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israel.*

Jerem. VII.

11. *Et nunc quia fecistis omnia opera hæc, dicit Dominus, & locutus sum ad vos mane consurgens, & loquens, & non audistis; & vocavi vos & non respondistis; faciam domui huic, in qua invocatum est nomen meum & in qua vos habetis fiduciam, & loco, quem dedi vobis & patribus vestris, sicuti feci Silo. Et projiciam vos à facie mea, sicut projeci omnes fratres vestros, universum semen Ephraim.*

12. Hoc igitur loco, ut diximus, monumentum nominis sui & gloriæ, quasiq; domicilium constituerat olim ipse immortalis atq; æternus Deus. Hinc via rectâ prope lineâ pertinebat in *Sichem* quæ & Sichima dicta est.

13, In hac, aut ad eam, aliquamdiu habitarunt sancti patriarchæ Abrahamus, & Jacobus. Atq; hujus filii, Simeon & Levi, sanguinariis usi consiliis, eam penitus vastarunt: quòd princeps civitatis Sichem, filius Hemor, Sorori suæ Dinæ stuprum obtulisset.

Gen. XII. & XXXIII. *cum seq.* & XLIX.

14. Abimelech deinceps longo interval[illegible] tandem penitus excidit, ita ut sale eam conspergeret. Excitavit autem eam denuò Jeroboam. Et Christi servatoris nostri ævo *Sichar* vocata est. Aliquanto post etiam Neapolis, & Mabortha, ut Plinio quoque, non modò Josepho notum erat.

Jud. IX. Joseph. V. Ant. 9. 1. Reg. XII Joann. IV. Joseph. sæpe. Plin. V. c. 13.

15, Prope viam, Hierosolymis Silauntem, & porrò Sichimam ferentem, *prædium* erat perquam amœnum quod

Genes. XLIX. Josu. XIII. & XVI.

Joann. IV. *Josu.* XXIV. quod extra sortem Jacobus patriarcha, morti vicinus filio suo Josepho dedit. Cujus ossa ex Ægypto huc translata, & in Mausoléo splendido condita sunt, quod Hieronymi ævo etiamnum superabat.

Genes. XXXV. *Josu.* XXIV. 16. Erat ibidem & *quercus Sichimorum*, sub qua Jacobus idola suorum, post reditum è Mesopotamia defodit. Josua quoque prægrandem hîc lapidem statuit, testem fœderis, quod populus cum DEO pepigerat. Quercus hæc etiam Hieronymi tempore exstabat.

Joann. IV. 17. In eadem regione, in suburbanis Sichem, fuit *puteus Jacob*: ad quem Servator noster cum muliere Samaritana diu colloquutus est de aqua viva, & adoratione vera, quæ fit spiritu & veritate,

18. Quumque mulier illa dicat, *Patres nostri in hoc monte adoraverunt, & vos dicitis Hierosolymis esse locum, ubi oporteat adorare*; apparet non obscurè ad montem istos sermones esse habitos.

Borch. VII. §. 17. *Deut.* XI. 19. Et certè mons ille erat *Garizim*, altissimus omnium in ista regione. Erat autem biceps. Uni ejus vertici Garizim, alteri *Ebal*, nomen inditum. De quibus hæc mandata Moses populo dat. *Quum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, ad quam pergis habitandam, pones benedictionem super montem Garizim, maledictionem super montem Hebal: qui sunt trans Jordanem, post viam quæ vergit ad solis occubitum, in terra Chananæi, qui habitat in campestribus contra Galgalam, quæ est juxta vallem, tendentem & intrantem procul.*

Deut. XXVII. & XXVIII. 20. Quin lapidibus erectis atque arctè junctis verba legis divinæ incidenda, & altare è lapidibus, ferro non recisis, struendum in eodem monte præcepit. Illud etiam, quæ tribus in monte Garizim benedicere multitudini legum observanti; quæ ex Hebal immorigeris meledicere de-

re debeant, idem constituit Moses. Cui postea penitus obsequitur Josua. *Josu.* VIII.

21. Eâ forte gratiâ hunc montem postea delegit *Sanaballethes* Chuthæus, satrapa Darii regis Persarum, in quo *templum* conderet, Hierosolymitano æmulum: in quo generum suum Manassem, Pontificem fecit, Jaddi fratrem, ejus, qui Alexandro Magno, cum turba sacerdotum & populi occurrens iratum placuit, non sine divino numine. *Joseph.* XI. *Antiq. cap.* 7. & 8.

22. Templum hoc diu sanè mansit incolume apud Samaritanos, (Ita dicebantur Chuthæi, Persica gens, in locum Judæorum captivorum submissa) *& siquis apud Hierosolymitas, aut illiciti cibi sumti, aut violati Sabbathi, aut similis criminis reus ageretur, ad Sicimas confugiebat, calumniam se passum dictitans*, ut Josephus scribit: qui & ab initio multos id genus homines ad Manassem illum confluxisse, & receptos benigneque ibi habitos ait.

23. Neq; solùm stetit illud templum satis diu, sed ea fuit apud Samaritanos dignatione, ut anteponere ejus auctoritatem Hierosolymitano templo non dubitarent, apud Ægypti regem Ptolemæum Philometorem, qui caussam eam cognovit, & ipsorum litigatorum voluntate capitis supplicium constituit victæ partis caussidicis. *Joseph.* XIII. *Antiq. c.* 6.

24. Hyrcanus tandem, Pontifex & Dux Judæorum, filius Simonis, ultimi fratrum Maccabæi, Antiochi, cognomento Pii, Syriæ regis temporibus, quem CCC. talentis, è Davidis sepulcro prolatis, paullo antè placaverat, audita ejus morte, & templum hoc, & gentem Chuthæorum, & Sicima urbem delevit, anno post quam id conditum fuerat ducentesimo. *Joseph.* XIII. *Ant.* 16. & 17

25. Atque is finis templi hujus fuit: etsi non nulli ad bel-

bellum, quod cum Romanis Judæi gesserunt, ejus tempora producunt. Apparet autem, cur Samaritanæ Christo dicat, *Patres nostri adoraverunt in hoc monte.*

1.Reg. XVI.

26. A monte Garizim, & urbe Sichem non longè aberat *mons Semeron*, editus admodum, ut prospectus inde longè latéque pateret. In eo *Samaria*, metropolis condita est ab rege Israelis Amri, qui montem eum de Samero emerat: unde appellationem urbs traxit, ut ab ea porrò universa regio adjacens.

Lib.Reg.& Paralip.

II.Reg.XVII. & XIIX. Joseph. IX. Antiq.cap. ult.

27. Fuit hæc Regum Israelis sedes, qui decem populi tribus, à familia Davidis avulsas possederunt, & cum regibus Juda mutuis odiis atque armis satis diu certarunt; alia item bella non levia gesserunt, donec Assyriorum rex Salmanasser obsessa per triennium, expugnatâ tandem Samariâ regem ejus Oseam cum populo captivum abduxit, ac per Assyriam Mediamque dispersit.

28. Accidit tanta ac tam tristis rerum Judaicarum mutatio, annis CCXL, mensibus VII, totidemque diebus, pòst defectionem decem tribuum à Roboamo, Davidis nepote, ad Hieroboamum: post exitum ex Ægypto DCCCC XLVII ut testis est Josephus.

29. Caussam tantæ calamitatis fuisse gentis impietatem, atq; idolorum cultum, & contemptum prophetarum, sacræ literæ ipsæ produnt: & Josephus: qui addit seditionem illam, qua sese à regno Judæ, tamquam capite abstrahi passi sunt.

30. Ceterum Salmanasser in locum abductarum tribuum submisit gentem Persicam, *Chuthæos*, à flumine Chuto ita dictos. qui quòd idolis servirent patriis, gravibus à Deo immortali cladibus sunt castigati. Igitur quum id regi Assyrio significassent, ab eoq; sacerdotem quendam impetrassent, à quo cultum Dei vivi docerentur, partim huic

huic, partim diis patriis sacra fecerunt.

31. Hinc exstitit miscella illa Samaritanorum religio, & animus anceps gentis, quem pro fortunæ vicissitudine huc illuc inclinabat, eoque invisa cumprimis fuit Judæis.

Joan. IV. & VIII.

32. Josephus versipelles eorum animos retegit pulchrè. *Permanent*, inquit, *nunc quoq; in ea religione Chuthai vocati Hebrais, Gracis verò Samarita, qui pro præsenti semper conditione temporum mutabiles, quoties feliciter degere Judaos viderint, cognatos se eorum appellant, utpote à Josepho oriundos, & hac ratione sanguine illis conjunctos. Quando verò in rebus adversis eos adspiciunt, nihil ad se pertinere ajunt, nec illis quidquam deberi benevolentia: quum ipsi ex longè remotis gentibus ad ea loca venerint.*

IX. Antiq. ult.

33. Quum igitur invisi Judæis, ob animos ita mobiles, & in se parum amicos forent, eosq; injuria etiam affecissent: Hyrcanus Pontifex populi Judaici, per filios, Antigonum & Aristobulum, acerrimè Samariam oppugnavit, obsessam toto anno, quum fossâ urbem, & duplici muro per LXXX. stadia cinxisset.

Joseph. XIII. Antiq. 18.

34. Excutere quidem eos obsidione conati sunt non nulli frustra. Etenim urbs capta tandem, & solo est æquata, inductis etiam eò torrentibus: quorum eluvie ita cuncta fœdata sunt, ut ne vestigium quidem urbis ejus superesset.

35. Herodes tamen postea magnificè eam instauravit, amplius etiam spacium, quàm prior urbs habuerat, mœnibus amplexus, stadia nempe XX. In media urbe splendore atque magnificentia eximium templum condidit: urbemque ipsam Augusto, cui regnum acceptum ferebat, consecravit, eoque Σεβαστὴν appellavit.

Joseph. XV. Antiq. c. 11.

36. Arcem hanc extra urbem Hierosolyma, ut aliis in regionibus alias habebat: in ipsa urbe duas: unam in

Joseph. ibid.

occidentali parte ad murum veterem; alteram prope templum, quæ Antonia dicta est, ut indicavimus ante.

Monachus cap. VII. §. 12. 37. Samaria hæc, sive Sebaste, itinere diei unius Hierosolymis aberat, sita in monte, regione frugiferâ inprimis atq; amœnâ. Itaq; superbas magnificasq; olim habuit domus: quarum hodieque ruinæ exstare dicuntur, quales in Judæa aliæ nullæ. Operæ precium fuerit Borchardum super his rebus legere.

38. Idem monachus refert D. Johannem Baptistam heic esse post fata sepultum, inter Helisæum & Abdiam prophetas. Itaque & duo templa ibi, ejusdem Baptistæ honori condita erant, & in altero eorum sepulcrum marmoreum, ad similitudinem ejus, in quo Christi Servatoris corpus fuerat conditum.

1. Reg. XXI. 39. Hodie quidem excisa penitus ob peccata habitantium est, ut nec unam retineat domum. *Facta nimirum hortus olerum est*, teste eodem. *sicut rex ejus impius Achab, de vinea Naboth Jezraelitæ hortum facere voluit, eo, quod proxima esset domui regiæ. Et justo Dei judicio, non solùm vinea Naboth, sed & Palatium regium in hortos est commutatum.*

Borchard. & alii. 40. Ea igitur hodie est Samariæ urbis facies, superbientis olim magnificâ domorum marmorearum structurâ; quarum ruinæ passim in monte illo, & circa eum etiamnum visuntur: ut testantur, qui regionem eam vidêre.

1. Reg. XIX. 41. Prope Samariam duo sunt montes, quorum alteri *Bethel* nomen est, alteri *Dan*, pergentibus in Sichem ad dextram lævamque. In iis montibus quidam volunt duos aureos vitulos ab Hieroboamo propositos, novæ superstitionis illices.

42. Ponitur prope Samariam etiam *Ischarioth*, patria Judæ proditoris. Et propius Jordanem *Taphua*: item-que

que castellum *Doch*, edito in monte conditum: in quo Simonem, Maccabæi fratrem, per summum scelus oppressit gener ipsius Ptolemæus: & *Phaselum*, ab Herode honori & memoriæ fratris ex structum splendide.

Joseph. III. XVI. & XVII.

43. Prope ea castella, è montibus Ephraim oriebatur torrens *Carith*, ubi Eliam jussu Dei latitantem, inusitato solis ardore omnia exurente, corvi allatis panibus & carnibus aluerunt. Atq; hæc de tribu Ephraim.

I. *Reg.* XVII.

44. Vicina ei loca, DIMIDIA TRIBUS MANASSE habebat cis Jordanem. Parti enim alteri hujus tribus, regio transfluvium eum adsignata erat, de qua pòst agemus.

45. Hæc, quam cis Jordanem sedes sortitam esse diximus, inter Ephraim & Isaschar interjecta; Jordane & mari mediterraneo, ab utroque latere claudebatur.

46. Urbes illustriores, aut loca alia hujus tribus hæc erant. in litore màris *Antipatris*, olim Capharsalama, amœno condita solo & frugifero. Nemore insuper cincta & amne. Herodes rex instauratam nomine patris sui Antipatrida appellavit. Judas Maccabæus ad hanc urbem copias Nicanoris fudit. Paulus Apostolus, ut insidiis Judæorum subduceretur, manu militari stipatus, huc est à tribuno missus Hierosolymis, ut porrò Cæsaream ad Felicem præsidem mitteretur.

Joseph. XVI. *Antiq.* 5.

I. *Macab.* VII

Actor. XXIII.

47. Ceterùm ut Antipatris alterum hujus partis latus obsidebat, ita *Cæsarea* ac *Dora* tenebant alterum. Quarum illa prius Stratonis turris dicta, postea incredibili magnificentiâ ab Herode ornata, admirandisq; decorata operibus, de quibus tacere, quàm pauca scribere satius videtur, ab Augusto Cæsare nomen est sortita.

Joseph. XV. *cap.* 13.

48. Multis hæc urbs, etsi per se clarissima, illustrata monumentis est, si vel sacras literas tantum consulamus. Et enim

Act. XII. *Josephus multo plenius.* XIX. *Antiq. c. ult.*

enim Herodes Agrippa rex Judææ, quòd adulatorum impias voces non repressisset, angeli manu percussus tristi fato hîc exspiravit.

Actor. IX.

49. Ibidem Cornelius centurio, vir religiosus & beneficus, ab Apostolo Petro viam æternæ salutis edoctus, & acceptis Spiritus sancti donis, cum familia baptisatus est. Philippus item Evangelista; & quatuor ejus filiæ, prophetico spiritu dotatæ heic vixerunt: & Agabus vincula Paulo prædixit, Hierosolymis ei parata.

Act. XXI.

Act. XXIII. *& seq. cap.*

50. Paulus idem Hierosolymis captus, & huc missus, in vinculis biennium hic exegit, præsidibus Judææ Felice & Festo: apud quos, itemque Agrippam regem, caussam suam bis egit publice. Tandem, quum Cæsarem appellasset, hinc Romam missus est ad Neronem.

I. *Maccab.* XV

51. In ipso limite hujus tribus, propinqua Cæsareæ, in eodem litore erat *Dora*, quæ & Dor, itemque Adora. In hanc fugit Tryphon homo arrogans & fallax, quem ingentibus ibi copiis obsedit Antiochus.

Lib. II. *advers Apionem. &* XV. *Ant.* 13.

52. Doram urbem inscitè Appioni in Idumæam rejici, quum sit Phœniciæ ad Carmelum montem, Josephus auctor est. Et Cæsaream Joppæ ac Doræ, urbibus litoralibus, interjectam. Litora etiam harum importuosa, quòd Africo exposita sint.

53. Non longè distabat Cæsareâ & Dorâ, urbibus maritimis, *Mageddo*, ad torrentem quendam in Magno Campo sita. Urbs nobilis, tum suâ præstantia ac nobilitate, tum vero memoria eorum, quæ ibi acciderunt.

II. *Reg.* IX. II. *Reg.* XXIII. *Joseph.* IX. *Antiq.* 5. & X. *Ant.* 6.

54. Ochozias enim, rex Juda, vulneratus ab Jehu, rege Israel, in hac urbe exspiravit. Josias item, rex Juda, commemorabili præditus pietate, hîc ita grave in prælio vulnus accepit, ut Hierosolymam relatus paullo post decesserit.

Dimi-

Dimicaverat autem adversus Nechaum Ægypti regem, expeditionem in Babylonios & Medos parantem.

55. Planctum magnum huic tam pio regi & probo impensum, qualis futurus erat piorum, Servatore generis humani mortem oppetente, sancti vates jam olim prædixerant. Mentionem etiam faciunt *Adadremmon* oppidi, quod in hac regione, uti & *Gaber*, & alia obscuriora. *Zach. XII.*

56. Monstrabatur heic quoque *Mons Prophetarum*, ita dictus, quod in eo persecutionis tempore ac famis, Abdias, aulæ regis impii Achabi præfectus, centum prophetas occuluit, & sustentavit pane & aquâ. *I. Reg. XIII.* *Hieron. Epitaph. Paulæ.*

57. Sed longe clarissima in hac orâ erat *Jezrael*, in confinio tribuum Manasse & Isaschar, ad radices Gelboe montis. Urbs regia, & ut non obscuris auctoribus visum olim fuit, caput decem tribuum, sive Israelis.

58. Editiore sita loco hæc urbs prospectum præbebat longè lateque per vicinas undique regiones: præsertim quum speculam haberet atque turrim, unde sublatis ignibus indicium de adventu hostium fiebat, tamquam è quadam Pharo. *Borch. VII. §. 7.*

59. In hac urbe Jezabel regina Israelis, Achabi uxor, fœmina corruptissimis ac perditis moribus, circumventum fraudibus, & calumniis subversum Naboth, virum innocentem, & patrii fundi amantem, perdidit: quod eo potiri se non posse crederet, nisi cupidini sceleratæ sanguinem innoxii viri precium persolvisset. *I. Reg. XXI.*

60. Nec impunè tulit tantum scelus patratum nequissima fœmina. Præter interitum enim mariti, quem vidit, & posterorum, quem Eliâ denunciante didicit, ipsa deinceps, jussu Jehu, viri strenui, quem Deus regem illi suffecerat, de fenestra sublimi præcipitata in viam publicam, *II. Reg. IX.*

un-

ungulis equorum conculcata, lacerata sævis canibus, ac prope tota devorata est.

Ibidem.

61. Quin filius Joramus, tantæ violentiæ atq; injustitiæ hæres, luit paterna & materna scelera satis tristi interitu. Transfixus enim Jehu ducis, & jam novi regis jaculo, in fundum ipsum illum, quem injustè Nabotho ereptum hactenus possidebat Jezabel, abjicitur.

Cap. VII §.7.

62. Hodie urbs ea pæne tota excisa est, ut *vix XX. domunculas habeat, teste Monacho, diciturq; Chareth, & est in basi montis Gelboë ad occidentem: ante cujus ingressum adhuc ostenditur ager Naboth Jezraëlitæ, quem innocentem lapidibus obrui jussit maledicta Jezabel.*

63. In his regionibus est *Campus Magnus*, de quo Borchardus monachus, *Scias*, inquit, *studiose lector, campum Mageddo, & Esdrelon, & planiciem Galilææ, & Mageddam, idem esse, licet diversimodè denominatum.*

64. *Est autem in rei veritate Campus Galilææ, qui cingitur mari Galilææ & Jordane. ab austro autem monte Ephraim, & Samaria; ab occidente partim monte Ephraim, & monte Carmelo; ab aquilone montibus Phœniciæ & Libano. In longitudine est fere decem leucarum; in latitudine sex & amplius.*

65. *In partibus aquilonis fertilis est supra modum, exuberans frumento, vino, olea, omnibusq; mundi bonis, adeò quod regionẽ meliorem credo me non vidisse, si exigentibus demeritis nostris, non detineretur in manu prophanorũ infidelium.* Hæc ille.

Jud. IV.

66. Pergentibus ab urbe Jezrael, de qua diximus, ad Jordanem, occurrunt in hac tribu Tanach, Thebes, Acrabata & Thersa. Ad *Tanach* Debora, ope Baraci, illustri victoria stravit Sisaram ducem exercitus Jabin, regis Chanaan. cujus iam sopiti tempora Jahel trajecit clavo, ita ferox armorum fiduciâ muliebri cecidit manu.

Joseph. V. *Antiq.* 6.

67. *Thebes*

67. *Thebes* ei vicina fertili ſita loco, turrim habebat robuſtam. In quam quum incurreret, & irrumpere conaretur Abimelech, fragmento molaris lapidis à muliere miſſo in caput ipſius, occubuit: confectusque porrò armigeri ſui operâ, pœnas dedit fratribus ſuis LXX. quos inaudito crudelitatis exemplo uno loco ac tempore trucidarat. *Jud. IX. Joſeph. V. Antiq. 9.*

68. *Acrabatha*, unde Acrabathena Toparchia, una de undecim Judææ toparchiis: cujus frequens apud Joſephum & Hieronymum mentio. Terminum hîc Samariæ ſtatuunt. *II. bel. & III. bel. 2. Hieron. de Loc. Hebr.*

69. *Therſa* in alto monte ſtructa, heroum domicilium quondam fuiſſe perhibetur: eâque ſede reges Iſraelis uſi ſunt, antequàm Samariam conderet Amri, uti ex ipſorum conſtat hiſtoria. *I. Reg. XIV. & ſeq.*

70. Propius Jordanem erat *Alexandriam*, caſtellum munitiſſimum, circa & ante Herodis tempora. Vicinum ei oppidum *Ephra*, Gedeonis hiſtoria, & Abimelechi parricidio inclitum. *Joſeph. plurimis locis. Jud. VI. 8. & ſeq.*

71. In eadem ad Jordanem ora *Bezech* erat, ubi copias ſuas, in Naas Ammonitem ducendas, recenſuit Saulus. Huic urbi dominatus eſt, ut videtur, Adonibeſec, is qui mutilatus ſummitatibus manuum ac pedum ſuſtinuit ſeipſo judice pœnam, quam is prius LXX. regibus impoſuerat per ſummum ſcelus. *I. Sam. II. Jud. I.*

72. Erat & Ænon, propè *Salem* in his ad Jordanem oris, ubi Johannes baptiſabat, *quoniam aqua multa erant illic: & veniebant ac baptizabantur.* Salem quidam eam fuiſſe urbem ſtatuunt, quam ſacerdos Dei altiſſimi olim habitavit Melchiſedech: cujus palatii magnitudinem ruinas hodieq; teſtari perhibent. *Joan. III. Geneſ. XIV. Hieron. de Loc. Hebr. & Epiſt. ad Evagr.*

Genes. XXXIII 73. Jacobus quoque, vir sanctus, post digressum fratris sui Esau, cum suo comitatu venit in Salim, quæ erat urbs Sichimorum: *Emitq. partem agri, in qua fixerat tabernacula, à filiis Hemor, patris Sichem, centum agnis. Et erecto ibi altari, invocavit super illud fortissimum Deum Israel.*

Gen. XII. & 74. Oppida hæc in *Valle illustri*, sive Regis erant, quam Josephus Campum regium vocat. Ita autem dicebatur regio illa ad Jordanem, quæ inter mare Galilææ & Mortuum intercedit. Miræ enim fertilitatis ea quondam fuit. Atque hîc finem statuimus Samariæ, quæ secunda pars est terræ sanctæ, sive Palæstinæ.

CAPUT IX.

De GALILÆA & Tribubus, quæ ad eam referuntur: ac primum de Inferiore Galilæa.

GALILAEA, regio est terræ sanctæ, amplitudine & bonitate soli ac cœli, præterea virorum copiâ, & artibus belli, urbium item frequentiâ & magnitudine celebris. Duplex ea est, *Superior*, quæ Syriam & Phœnicen; & *Inferior*, quæ Samariam & lacum attingit, ab ipsa dictum. Mare enim Galilææ vocabatur.

Lib. III. bel. Jud. cap. 3. 2. Sed præstat hac de re Josephum audire, Galilæorum in bello Judaico ducem, & qnidem prudentissimum. *Duæ sunt, inquit is, Galilææ, quæ superior & inferior appellantur, easq. Phœnice & Syria cingunt.*

3. Terminos idem statuit hujus partis Ptolemaidem, & Carmelum montem ad occidentem: ad meridiem Samariam & Scythopolim, usq; ad fluenta Jordanis: ad ortum Hippenem & Gadarim, & Gaulanitidem, regnumq; Agrip-

pæ: ad ſeptentriones denique Tyrum, ac Tyriorum fines.

4. Porrò ſingularum partium limites ſunt obſcuriores. Itaque iis prætermiſſis, ordine tribus, quæ hîc ſedes ſuas occuparunt, cum primariis urbibus, aliisq; locis illuſtrioribus indicabimus. Prius tamen è Joſepho quædam de gentis & regionis indole præmittenda ſunt.

5. *Quum tanta ſint magnitudine (duæ Galilææ) tantisq; gentibus alienigenis cinctæ, ſemper tamen omnibus belli periculis reſtiterunt. Nam & pugnaces ſunt ab infantia Galilæi, & omni tempore plurimi: neque aut formido umquam viros, aut eorum penuria regiones illas occupavit.*

6. *Etenim tota opima & fertiles ſunt, omniumq; generum arboribus conſitæ: ut etiam agriculturæ minimè ſtudioſos ubertate ſuâ provocent.*

7. *Deniq; excultæ ab incolis ſunt totæ, nec eſt pars earum ulla otioſa. Quin & civitates ibi crebræ ſunt; & ubiq; multitudo vicorum propter opulentiam populoſa: ut, qui ſit minimus, ſupra XV. millia colonorum habeat: prorſus ut, etiamſi quis ſpaciis minorem Galilæam dixerit eâ, quæ trans flumen eſt, regione, viribus eam tamen illi facile anteponat. Hæc enim univerſa colitur, tota fructuum ferax.*

8. Vicos autem ejuſmodi & oppida, unde maximus armatorum numerus educi poterat, amplius quadringentos habebat Galilæa: quorum paſſim mentio fit, non in ipſius tantum, ſed & Evangeliſtarum monumentis.

Joſeph. lib. de vita ſua.

9. Etenim, quod nemo noſtrum ignorat, Servator generis humani Chriſtus in hac regione conceptus educatuſq; eſt. hîc auſpicatus eſt conciones ſalutares, & miracula ſtupenda, quæ plurima genti mortalium exhibuit, ſeque verum Deum, & promiſſum mundi liberatorem demonſtravit. Diſcipulos hîc etiam collegit, qui *Galilæi* à nom-

Luc. I. Joh. I. Matt. III. Marc. I. & omnes hi paſſim.

nonnullis dicti,ut & ipse interdũ contemtim appellat' est.

10. Ejus igitur urbes,oppida, vicos celebriores curriculo percurremus, initio facto à Galilæa inferiori,quæ tribus Isachar & Zabulon continet, attingitque lacum Genezareth, qui unum ejus claudit latus, ut alterum mare ipsum mediterraneum ad Ptolemaidem.

11. In tribu igitur Isachar, non longe à mari Galilææ aberat *Isachar*, oppidum non celebre, nisi quod universæ tribus nomen ferret. Et *Bethsan*, quæ & *Scythopolis* dicta, quod à Scythis instaurata aliquando fuerit.

1. *Sam. ult.* *Joseph.* v. *Antiq.* 1.

12. Sita ea erat medio prope spacio inter Jordanem & montes Gelboe, loco peramœno. Philistæi cæsorum in prælio Saulis & filiorum cadavera de urbis hujus muro suspenderunt.

III. *bel.* 16. II. *bel.* 19. & *de vita sua.*

13. Hanc urbem Josephus, qui plurimis locis, uti & Hieronymus, mentionem ejus facit, Decapoleos maximam, & vicinam facit Tiberiadi. Idem immanis cum primis sævitiæ exemplum memorat, quod in Judæos ab iis editum: ut barbarum Scytharum morem facile etiam in posteris eorum agnoscas. Quo tempore Simonis quoq; Judæi furor potius, quàm audacia nefaria in se ac suis trucidandis exstitit.

14. In hac tribu Isachar sunt *montes Gelboe*, & eis oppositus, adeoque παράλληλος *Hermon* eminet præ ceteris. Orti fere à Jordane, ubi is è lacu Genezareth erumpit, longo tractu in mediterranea procurrunt, ad campum usque magnum, de quo diximus. Intra eos fere montes loca hujus tribus continentur.

15. In montibus Gelboe Saulus, rex primus Israel, cum filio præstantis animi, & eximiæ virtutis Jonathane, aliisque, pro patria pugnans occubuit, cæsus armis Philistino.

norum. Itaq; David summus ejus amicus mala ipsis montibus imprecatur. *montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos: neque sint agri primitiarum: quia ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo.* II. Sam. II.

16. Fuerunt qui crederent, ita ratas illas fuisse imprecationes, ut nec pluvia montes hosce, neque ros irrigaret. Quam tamen opinionem falsam esse confirmat Borchardus monachus, qui mense Novembri, anno à Christo nato MCCLXXIII. in montibus hisce pernoctans, & rore perfusum se ait supra modum fuisse, & in festo Martini largissimis pluviis in eodem monte probè lotus, &, ut ipse scribit, usq; ad carnem madefactus descendit. Cap. 7. §. 10.

17. *Est tamen verum, inquit, quod ejusdem quadam partes saxosa, arida sunt & steriles, sicut & alii Israel montes.*

18. Hermonem quidam pingui rore madescere, eoq; nihil illo amoenius, nihil uberius, è sacris constat literis; quarum judicio fraternæ concordiæ, indeque ortæ felicitati, vix quidquam comparari potest: Psal. CXXXIII. Adde Psalm. LXXXIX.

Non ros, tenella gemmulis argenteis
Pingens Sionis gramina:
Aut verna dulci inebrians uligine
Hermonis intonsi juga.

19. Inter hos montes interjecta *Vallis illustris*, quæ & Jesrael dicta est. Ea hinc orta ad mare usq; mortuum pertinebat, ut antè etiam diximus. Borchard. Cap. VII. §. 9.

20. Urbes in hac ora non admodum claræ. *Naim* tamen ad radices Hermonis minoris erat: ubi Servator noster filium viduæ in vitam revocavit. Hanc alluebat *Cison* amnis, monte Thabor editus: cujus decursus in contrarias fertur partes. Pars enim mari Galilææ; pars Mediterraneo miscetur, receptis antè aliis etiam torrentibus. Ad Luc. VII. Borch. VI. §. 11. I. Reg. XVIII.

Cison torrentem Elias interfecit pseudoprophetas Baal.

I. *Sam.* XXVIII.

21. Non longe hinc aberat *Endor*, ubi Saulus rex in angustias magnas redactus, contra præscripta legis, ad malas artes descendit, & à muliere Pythonissa contendit, ut Samuelem sibi ab inferis eliceret.

Gen. XIV. *Niceph.* IIX. *Hist Eccles.* 30.

22. Prope hoc oppidum Abrahamo victori regnum, qui impressione in Canaan facta, Lothum cum aliis abduxerant, occurrisse creditur Melchisedech, ubi hodieque *Mensa Melchisedech* ostenditur, ut ajunt.

I. *Reg.* I. II. *Reg.* IV.

23. Erat ad Hermonem & *Sunem*, quæ & Suna, itemq; Sula, unde Abisag, pulcherrima virgo delecta, quæ senem jam regem Davidem foveret complexu suo. In hac urbe fœmina quædam in Elisæum benigna, precibus ejus filium impetravit, amissumq; morte, ejusdẽ precib⁹ recuperavit.

I. *Reg.* XX.

24. Nec longè distabant inde Jaramoth, Aphec, Esdrelon: quorum in sacris interdum literis mentio fit. Prope *Aphec*, Philistæi castra metati sunt contra Saulum. Syri ibidem contra Achab, regem Israelis, pugnarunt, & Benhadad rex Syriæ ingenti prælio victus est, amissis acie millibus centum: & mox ruinâ muri XXVII. millibus quo tempore Syrus demisso admodum & pusillo animo veniam & pacem petivit à victore. qui satis improvidè eam postulanti dedit.

Borchard. *cap.* IIX. §. 1.

25. Neq; erant, præter ista, magnopere illustria in hac tribu loca. *Castrum* tamen *peregrinorum* in litore maris structum, & magnis opibus Christianorum munitum, celebre est in recentium itinerariis.

I. *Reg.* XIIX.

26. *Carmelus* verò mons in sacris etiam & prophanis literis celeberrimus. Amœnitate enim pariter, & fructuum copiâ præstabat. In hoc monte Elias propheta Baalis impios cultores, diu elusos, tandem stupendo miraculo

vicit;

vicit: & comprehensos DCL. mactavit ad torrentem Cison, uti dictum.

27. Nec prophanis ignotus fuit Carmelus mons, & in eo ara sine templo, sine imagine ulla. Quæ ibi vaticinia edita sint Vespasiano neq; dum imperatori, è Suetonio, Tacitoque disces non sine fructu.

Suet. Vespas. c.v. Tacit. II. Annal.

28. Est & in tribu Juda Carmelus mons, de quo supra. Prope hunc ponitur *Terra Naid*, quam olim occupasse traditur Cain: ubi urbem in monte condidisse, ipseq; à Lamech per errorem jaculo trajectus scribitur.

Gen. IV. Joseph. I. Ant. 3. Borch. & Breidenb.

29. Sequitur Tribus *Zabulon*, quam ab Isachar separat torrens Cison. In hac urbs ejusdem nominis haud procul à mari erat submota, quam locupletem sane diripiendam militib⁹ concessit, tandemq; excidit bello Judaico Cestius.

Joseph. II. Bel. 22.

30. Propinqua ei fuit *Gaba*, & propter miraculum Servatoris nostri multo clarior *Cana*, cognomento *minor*, itemq; Galilææ, in latere montis sita alluitur torrente Jeptael.

31. Alumnis hoc oppidum nobile est, Simone Cananite, servatoris nostri Apostolo, & Nathanaele, vero Israelita, & sine fraude, fuco ac fallaciis, ipso Christo teste. Multo nobilius miraculo ejusdem, quo aquam, præter omnium exspectationem, in generosissimum vinum mutavit. Postea etiam absens regii cujusdam filium, qui, in urbe Capharnaum animam jam agebat, verbulo sanavit.

Matth. X. 4. Marc. III. 18. Joan. I. Joann. II. Joann. IV.

32. Propinqua Canæ erat, *Nazareth*, montis cujusdam verticem, coronæ instar ambiens: urbs toto terrarum orbe, præsertim apud Christianos, decantata. Hîc enim domicilium suum D. Virgo Maria habuit satis diu: hîc Gabriele angelo internuncio didicit, fore se Christi, tam diu, tamq; avidè ab hominibus sanctis exspectati, matrem.

Luc. I. & seq.

33. Ipse etiam generis humani liberator Christus hic edu-

Luc. IV.

educatus est, & nomen inde consequutus. Docuit item in synagoga eorum: etsi eo eventu, ut de montis abrupto, in quo structum oppidum, præcipitare eum conarentur impii cives.

34. Quid oppido huic postea factum, quàm Hierosolyma à Romanis vastata, longius fuerit exponere, quàm pro instituto nostro. *Montes vicini Nazareth* ab eodem oppido dicuntur, & iis prope contigui *Zabulon*.

Joseph. XIII. *Antiq.* 20.

35. In radicibus montium Nazareth fuit *Asochis*, quam captam quondam crudeliter admodum exhausit opibus ac viris Ptolemæus Lathyrus, AEgypti rex.

Joseph. XIV. XVII. & XIIX *Antiq.* itemq; II. & III. *bel.*

36. Nec longè inde aberat, in alto monte structa *Sephoris*, urbium Galilææ maxima, & opulenta satis. Eadem medio regionis spacio sita, valdeq; & munita fuit & ornata. de qua urbe multa referuntur apud Josephum. Vocatur quibusdam & *Diocæsarea*.

Matt. XVII. *Marc.* IX.

37. Spectat hanc vicinus *mons Thabor*, insigni altitudine, amœnitate ac fertilitate longe præstantissimus. In quo Servator noster, præsentibus tribus Apostolis, divinæ majestatis suæ quoddam quasi specimen exhibuisse creditur; ac Mosi & Eliæ collocutus, accepit iterum testimonium divinitatis. Ecce enim vox è nube lucida, quæ discipulos inumbrabat, dicens; HIC EST FILIUS MEUS DILECTUS, IN QUO MIHI COMPLACUI. IPSUM AUDITE.

38. Tum nempe & Petrus, inusitati fulgoris circumfusus radiis, & inenarrabili dulcedine cœlestis gaudii obstupefactus, vix avelli se de loco isto passus est, tres ædificare tabernas paratus, Christo unam, Mosi unam, Eliæ unam.

Joseph. IV. *Bell.* 2.

39. Hic mons, *Itabyrius* Josepho, aliis Tabyrius, è media planicie, mira undique rotunditate in altitudinem XXX.

stadio-

ſtadiorum ſurgit. A ſeptentrione ægerrime in eum quis eluctabatur. Planiciem in vertice habebat ſtadiorum ſex & viginti. quod ſpacium diebus XL. muro cinxerat olim Joſephus initio belli Judaici. Placidus eum montem dolo in ſuam poteſtatem redegit.

40. Non ita longè ab eo aberat *Legio*, urbs Hieronymo ſæpius memorata, ſacris literis, ni fallor, penitus ignota, uti & Joſepho. At *Bethulia*, ex hiſtoria Judith & Holofernis notiſſima. In monte ea ſita fuit: ubi etiam nunc ruinæ domorum, & in vicinia caſtrorum Holofernis veſtigia ſupereſſe feruntur. *Lib. Judith.*

41. Erat in iis regionibus & *Dothaim*, ubi Joſephus, à patre miſſus ut paſcentes fratres viſeret, ab iratis comprehenſus, & in ciſternam, aquis deſtitutã miſſus: indeq; extractus venditur, in AEgyptum ducendus. Eliſæus quoq; hîc à Syris obſeſſus, non modò præſidio divino tutus fuit, ſed hos ipſos hoſtes ſuos, mirâ quadã vi occæcatos, in mediam duxit Samariam, regiq; Iſraelis in manum tradidit. *Geneſ. XXXVII.* *II. Reg. VI.*

42. Adjacebat Bethuliæ in hac tribu, præter alia loca, & *Bethleem*: à qua diverſum eſt oppidum illud in tribu Juda, in quo natus eſt Chriſtus mundi ſervator, ut diximus. *Hieron de Loc. Hebr.*

43. Munitiſſima verò in his oris erat *Jotapata*, non longe mari Galilææ arduis & abruptis impoſita rupibus. Munita præterea ingenti ſtudio ab Joſepho, ut incredibili labore Veſpaſiano expugnanda tandem, vel potius dolo occupanda fuerit. *Joſeph. III. bell cap. 4. 7. 8. 9. 10. & 13.*

44. Sequuntur dein *urbes maritimæ*, ad littus Stagni Geneſareth. Eæ ſunt, in hac quidem orâ tribus Zabulon, Tarichea, Tiberias, Magdalum, Bethſaida.

45. *Tharichea* tribu Iſachar aſſignanda fortaſſe, munitiſſima urbs fuit, operâ Joſephi munitior; cujus varia hîc quo- *Joſeph. de vita ſua & bel. Jud. lib. II. c. 25. & ſeq.*

quoq; fortuna. A Vespasiano tamē expugnata esttandem.

Joseph. XIIX. Antiq. 3.

46. *Tiberias* ab Imp. Romano Tiberio traxit nomen; ut ab ipsa porrò vicinum mare; & regio. Antea Cenereth appellata fuit. Fertili solo sita, ipsa etiam splendida & magnifica, montem sibi à meridie imminentem videbat. Metropolis & terminus scribitur Decapoleos regionis; terminus item inferioris Galilææ, & urbium ejus maxima.

Joan. VI.

Niceph. IIX. Histor. Eccles. 30.

47. Dominus & servator noster illustri miraculo hanc quoq; ad Tiberiadem oram illustravit. Quinq; enim panibus, & duobus piscibus quinque hominum millia saturavit, omnibus non injuria opstupescentibus. In cujus rei memoriam templum insigne eo loco statuit Helena, Constantini Magni Imp. mater, Δωδεκάθρονοι appellatum, à XII. ut videtur, Apostolorum sedibus.

Matth. IX. Luc. V. Matth. IIX. Marc. I. Luc. IIX. Joseph. II. bel. 27.

48. Sunt qui & Matthæum hîc à telonio ad apostoli munus accitum; & Jairi filiam, è morte in vitam à Christo revocatam; Petri item socrum febri liberatam velint. Quæ nescio an satis certò huc conferantur. Illud constat, insigni stratagemate à Josepho, initio belli Judaici recuperatam, quum ab eo paullo ante defecisset.

Borchard. cap. V. §. 7. Luc. IIX. Joan. XIX. & XX. Marc. XVI.

49. *Magdalum* in eodem litore, Mariæ ejus natale fuisse traditur solum, quæ ab eo Magdalene dicitur: cujus nomen in sacris literis celeberrimum esse nemo nostrum ignorat. Ejus domum etiam nunc ibi superesse quidam perhibent.

Breidenb. Mat. XIV. 34. Marc. VI. 53. Luc. V. I. XII. de bel. Jud. 18.

50. *Bethsaida* deniq; in angulo lacus est septentrionali, urbs insignis Decapoleos, sita ad viam, quæ è Syria ducit in Ægyptum. Regio hæc *Genesar*, sive *Genesareth* appellatur: unde & mare vicinum appellationem est sortitum. Ejus regionis ubertatem, cœliq; temperiem mirificè deprædicat Josephus.

51. Hæc

51. Hæc urbs patria fuit Petri Apostoli, & Andreæ fratris ejus, itemq; Philippi, celeberrimorum in sacra historia virorum. Petri socrum hîc sanatam verosimilius est, quàm Tiberiade. Cœco cuidam visum hîc certè restituit Christus: & multa alia divinæ potentiæ documenta sæpe dedit.

Matth. iv. 15. Joan. I. 45. & xii. 21. Marc. iix.

52. *Habuit Bethsaida, teste Monacho. antiquitus aquæ ductus, à fluvio, quem Josephus parvum Jordanem appellat, medietate itineris, inter ipsam & Capharnaum, & mare Galilaa: cujus aqua ductus vestigia adhuc permanent.*

Cap. v. §. 6.

53. In hac regione statuunt *montem* illum, in quo Servator noster sæpe versari, docere, orare, pernoctare, miracula edere solitus est: unde in vicinas regiones latissimè patet prospectus, ut plenius demonstrat Borchardus.

Vide. Borchard. cap. iv. §. 6.

54. Addit de eodem: *Est extentus jactu duorum arcuum, latus autem jactu lapidis & amplius: variis herbarum florumq; generibus decorus, amœnus, ad prædicandum habilis. Adhuc permanet lapis illic, super quem sedit Salvator prædicans, & Apostolorum sedilia: Christianiq; appellant locum ipsum Tabulam, sive Mensam.*

55. Et porrò, *In hujus montis basi, juxta mare Galilaa, fere* XXX. *passibus, fons vivus oritur, pariete circumdatus, quem incolæ credunt venam Nili, eo quod Corvum piscem (Coracinus est Josepho) nutrit, qui nusquam alibi reperitur.*

E. Joseph. iii. bel. 18. hæc sunt petita.

56. *Josephus fontem Capernaum appellat, eò quòd planicies ab hoc fonte ad Jordanem, trium leucarum longitudinem habens, Capernaum nominatur. Ex hoc fonte ad* XX. *passus super mare Galilaa locus est, ubi Salvator postquam à mortuis surrexit, in littore stetit, discipulis piscantibus, quum dixit, ut legimus Joan.* XXI. *Pueri, numquid pulmentarium habetis?*

57. *Ibidem in lapide tria benedicti Redemtoris jam gloriosi & immortalis corporis vestigia impressa & vidi, inquit, & tetigi; ipse-*

in festo clarissimi ac divi patris Augustini, quum illuc me contulissem. Verum quum repetissem locum eundem, in festo felicissimæ annuntiationis, Sarraceni maledicti lapidem ipsum asportaverant. Non enim venerantur mortis & resurrectionis Dominicæ insignia; sed veluti pecora & gentes stolidæ, stultitiam reputāt.

58. *Inde ad X. passus locū vidi, & devotissimè contemplatus sum, in quo discipuli in navi piscātes prunas viderūt, & piscē superpositū: & panem, ut legimus Joan, cap. XXI.* Hactenus Monachus.

59. Quanquam hic mons ad tribum Nephtalim potius, quàm Zabulon, pertinere fortè non injuria videatur. Ejus igitur tribus loca, quippe superioribus vicinæ, lustranda jam erant. Verùm, quum urbes maris Galilææ enumerare cœperimus, etiam reliquas in littore opposito prius percurremus.

Hieron. de Loc. Hebr.

60. Earū in numero facilè princeps erat *Capernaū*, sive *Capharnaū*, celebre emporiū, & primaria Decapoleos, vel potius universæ Galilææ urbs, opibus & splendore præ cæteris illustris. Ad dexterā sita erat in littore, secundo Jordane descendentibus, ubi is lacui sese miscet.

61. Hæc urbs etsi multis rebus olim, ac naturæ muneribus præstitit, atque ipsi posteritati commendata est, tamen nullâ magis, quàm quod civem habuit Servatorem nostrum, Christum Jesum, regum illum regem, & mundi universi conditorem. Hic enim relicta Nazareth, quam educatione sua illustraverat, in hanc urbem maritimam migravit.

Matth. IV.

Matth. IX. Marc. I. II. III & seq. reliqui item Evangelistæ sæpe.

62. Hîc deinceps cū discipulis, tāquā in suâ, & peculiariter sibi dilectâ urbe egit, docuit viā æternæ salutis, miracula plurima & illustrissima edidit: didrachma etiā solvit per Petrū: qui capto ejus jussu in mari pisce, staterē (numi species erat) in ore ejus invenerat: quod itâ futurum ipsi confirmaverat Dominus.

Matth. XVII.

63

63. Ac ut alia, prope infinita miracula, quæ in hac urbe edita, nunc non memoremus, uno alteroque brevitatis studio contenti erimus. Igitur mulier, quæ annis XII. sanguinis fluxu, odiosissimo & molestissimo genere morbi, laboraverat, & non minus opibus, quam corporis viribus exhausta, prope defecerat, vix tactâ vestis dominicæ fimbriâ, sanata est, & fluxus sanguinis exaruit.

Matth. IX. *Marc.* V. *Luc.* IIX.

64. Ibidem Centurionis cujusdam servum ægrotantem absens sanitati restituit, rogatu sive ipsius, sive seniorum populi Judaici. E quorum oratione etiam constat, hunc ipsum centurionem, ut hominem non Judæum, tamen & gentem hanc impensè amasse, & ædificasse ei suo sumtu synagogam, locum docendæ legi ac prophetis destinatum.

Matth. VIII. *Luc.* VII.

65. Atque ut Capernaum dexterum obsidebat litus intranti lacum, ita *Chorazin*, sive *Corozaim*, tenebat lævum. Urbs etiam ipsa egregia in Decapoli. quo nomine regio hæc, Jordani & mari Galilææ contigua appellata est.

Hierõ. de loc. Hebr. *Plin.* V. *Nat. Hist.* c. 18.

66. Dominus & servator noster sæpe hîc quoque; & in ista vicinia docuisse, multisque beneficiis, ut solebat, gentem hanc affecisse legitur. Quibus omnibus quum parùm homines pertinaces & improbi, in hac & vicinis urbibus flecterentur, gravissimas iis pœnas, & supplicia æterna comminatur.

Videatur Evangelistarum historia.

67. Illustria nempe illa sunt, sed horrenda: *Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethsaidan. Nam si in Tyro & Sidone editæ fuissent virtutes, quæ editæ sunt apud vos, olim cum sacco & cinere sedentes resipuissent. Quin etiam dico vobis, Tyri & Sidonis tolerabilior erit conditio in die judicii, quàm vestra.*

Matth. XI. *Luc.* X. *Adde Hieronym. in c.* XI. *Matt.*

68. *Et tu Capernaum, quæ es usq; ad cælum sublata, usq; ad inferos depriméris. Nam si Sodomis editæ fuissent virtu-*

tes, quæ editæ sunt apud te, mansissent usque ad hodiernum diem. Quinetiam dico vobis, terra Sodomorum tolerabilior erit conditio in die judicij, quàm tua.

69. Itaq; illæ olim ita florentes, ita opulentæ ac beatæ urbes, aliquanto post eversæ, hodie ruinis suis oppressæ jacent. Nam Borchardo teste oculato, *Capharnaum, gloriosa,* ut ipse loquitur, quondam *potensq; urbs, nùnc adeò desolata est, ut vix* IIX. *domunculas, vel potius dixerim tuguria, habeat.*

Cap. IV. §. 7.

70. Et de altera harum: *Distantia duarum leucarum à Capharnaum Jordanis mare Galilææ ingreditur: in cujus ulteriori littore urbis Chorozaim ruinæ adhuc videntur. Est enim penitus eversa atq; inhabitata.* Et de Bethsaida: *Nunc vix est in ea habitator.*

Cap. V. §. 6.

71. In eodem stagni littore orientali, ex adverso Bethsaidæ, erat *Julias.* quod nomen amplificatæ ornatæque imposuit Philippus, tetrarcha Ituræx & Trachonitidis, princeps pacis & justitiæ amans, à quo frater Herodes Antipa, Magni Fil. uxorem Herodiadem abduxit, improbante magnopere Joanne Baptista, nec injuria.

Joseph. XIIX. Antiq. 3. & 4. Matth. XIV. Marc. VI. Luc. III.

72. Antea vicus fuerat inferioris Gaulonitidis, quæ Trachonitidem ad meridiem claudebat. Verùm is, quem diximus, Philippus muro eum cinxit, numero habitatorum auxit, & nomen illud Juliados sive Juliæ indidit, ab Augusti Cæsaris filiâ, Tiberio nuptâ, impudicissimâ fœminâ.

73. Josephus Herodem etiam alii oppido, *Betharampta* prius appellato, id nominis imposuisse ait. Idem Philippum hîc obiisse diem suum, quum XXXVII. annos tetrarchiæ suæ magna cum laude justitiæ præfuisset, & illarum monumento, quod jam ante sibi construxerat, magnificè ac sumtuosè funeratum scribit.

Joseph. ibidē.

74. Vi-

74. Vicinum ei fuit *Desertum Betsaida, & mons*, in quem Servator noster subiit molestias turbæ confluentis, sibique imminentis, nonnihil declinans, etsi ne sic quidem subducere se iis potuit. Persecuti enim eum sunt magno studio. Itaque quum in montem etiam vicinum eum sequerentur, V. millia eorum quinque panibus & duobus piscibus, non sine stupore omnium, saturavit.

Matth. XIV. *Marc.* VI. *Luc.* XI. *Joan.* IV.

75. Sequitur *Magdala*, sive *Magedam* vicus, & *Dalmanutha*. Hic Pharisæi tentantes servatorem nostrum ab eo signum postulabant de cœlo. Quibus ille objurgatis signum dedit Jonæ, mortis suæ & resurrectionis typum eximium. Et relictis illis trajecit Bethsaidam.

Matth. XV. *Marc.* IIX. *Hieron. de loc. Hebr.*

76. Propinqua erat Dalmanuthæ, *regio Gerasenorum*, vocata ita ab urbe *Gerasa*, trans mare Galilææ in monte sitâ: quæ eadem *Gergesa* etiam appellatur: unde & regio vicina *Gergesenorum* dicitur Matthæo.

Joseph. I. *bel.* *Matth.* IIX.

77. Marcus & Lucas *regionem Gadarenorum* faciunt, in quâ legio dæmoniorum ex homine, vel duobus hominibus pulsa, Christi permissu gregem porcorum pascentium invasit, & in mare præcipitem egit.

Marc. V. *Luc.* IIX.

78. Quam ne quis magnam credat discrepantiam Evangelistarum, sciat urbes duas esse, non longo distantes intervallo Gerasam & Gadaram, utramque trans lacum Genesareth, utramq; monti impositam.

79. *Gerasa*, mari Galilææ propior, in monte sanè quàm munita fuit. Expugnata tamen est ab Alexandro Judæorum rege, quòd Theodori tyranni in ea opes forent depositæ.

Joseph. I. *bel.*

80. Gergesæi id oppidum olim habuere, qui ab Gergesæo, filiorum Chanaan quinto ortum suum traxisse perhibentur. Bello Judaico, & ab ipsis Judæis, & Romanis

Gen X. *Joseph.* I. *Ant.* 12. & I. *bel.* 19. V. *bel.* 6.

nis graviter attrita est civitas: quæ tamen gentis suæ injurias non acerbè ulta est.

Joseph. IV. *bell.* 2. *Idem.* XIII, *Antiq.* 21. & I. *bel.* 3.

81. *Gadara* monti itidem erat imposita, & paullo longius à mari Galilææ submota. Permunita item in transamnana regione, & prope inexpugnabilis credita: etsi falsò. Judæorum enim Rex Alexander Jannæus decem mensibus, obsessam cepit, diripuit, evertit.

Joseph. XIV. *Antiq.* 8. & I. *bel.* 5. *Idem.* XIV. *Antiq.* 10.

82. Pompejus magnus aliquanto post, in gratiam Demetrii liberti sui, cujus hæc patria, eam instauravit. Gabinius, quum regionem hanc universam in conventus quinq; descripsisset, unde jura peterentur, Gadarensem in iis esse voluit.

XV. *Ant.* 13.

83. Ita igitur postea res ipsorum corroboratæ sunt, ut Herodem regem apud Augustum postulare, & rapinarum, violentiæ, tyrannidis, sacrilegii reum facere non dubitarint, frustra. Sibi enim potius, quàm illi, exitio fuere.

84. Pòst Græcanica instituta secuti, Judæis invisi fuerunt: qui neque ipsos per occasionem affligere dubitarũt; nec ipsi suæ fortunæ & temporibus defuere Gadareni.

Joseph. V. *bell.* 3.

85. Vespasianus bello Judaico urbem cum vicinis oppidis ac vicis in potestatem suam redegit, aut traditam à volentibus accepit.

Strbo lib. XVI.

86. In radicibus montis *aquæ* erumpebant *calidæ*, & superstructa iis erant lavacra. Erat & *lacus* in agro Gadareno, aquæ pestilentis. Eâ enim degustatâ, pecora pilos, ungulas & cornua amittebant, An in eum præcipites abierint porci Gadarenorum, considerandum.

Ibidem.

87. *Gadarenses* fuere, teste Strabone, *Philodemus* Epicureus, Horatio non incognitus: & *Meleager*, & *Menippus* seria solitus jocose exponere: & *Theodorus* rhetor: quem sua vixisse ætate idem Strabo testatur. Ejusdem Quinctilianus sæpe mentionem facit.

88. Erat

88. Erat & *Hippos* urbs ad hoc littus, quæ & Hippene dicta, ut & incolæ ejus Hippeni. Pompejus eam belli turbine disjectam restituit. Augustus Herodi postea dedit, eoque mortuo Syriæ attribuit, nempe Græcanici urbem instituti.

Joseph. XIV. *Antiq.* 8. I. *bel.* 5. & 15. XVII. *Antiq.* 17.

89. Judæi & hanc quondam ejusque vicos vastarunt. Cujus injuriæ memores Hippeni, Judæos contrà graviter multarunt, tum quum bello illi jam Rom. urgerentur. Nec ignota est Hippos Plinio, Ptolemæo, Hieronymo & aliis scriptoribus.

Idem. II. *bel.* 19. & 20. *Plin.* v. 15. & 18. *Ptolem. Tab.* IV. *Asiæ. Hieron. de loc. Hebr.*

90. Tandem *Ephron* erat in extremo prope angulo maris, ubi Jordanis ex eo effluit. Urbs montibus undique cincta, iisque & copiosissima juventute adversus vim hostilem satis munita. Magno igitur stetit ejus expugnatio Judæ Maccabæo: cui transituro portas clausit. Tamen capta tandem, direpta, incensa ab eo est.

I. *Macc.* v. II. *Macc.* XII. *Joseph.* XII. *Antiq.* 12.

91. Atque illæ, quas enumeravimus, urbes trans lacum erant in dimidia tribu Manasse, litorales pleræq; , aut certè non longè à littore submotæ. De iis igitur hactenùs pro instituto nostro satis. De ipso verò lacu paucula quædam etiam adjicienda sunt.

92. Is igitur *lacus*, sive *stagnum Genesareth* appellari solet, à regione vicina Genesar, uti diximus. Itemque *Tiberiadis*, ab urbe in citeriori ejus littore. Vocatur & *Mare Galilææ*, quod Galilæam attingat, eique bona ex parte includatur. Et quia magnitudinem non contemnendam habet, maris nomine dignus visus est lacus; ut & Asphaltitis, qui mare mortuum dicitur, ut notum est.

Luc. v. *Joan.* VI. *Matth.* IV. & *passim alibi.*

93. Plinius eum norat, & quodammodo expressit, ubi Jordanis indolem & decursum persequitur. *Ubi prima*, inquit, *convallium fuit occasio, in lacum se fundit, quem plures*

Plin. v. *Nat. Hist.* 15.

Genesaram vocant, XVI. *mil pass longitudinis*, VI. *latitudinis: amœnis circumseptum oppidis, ab Oriente Juliade & Hippo, à meridie Tarichea, quo nomine aliqui & lacum appellant; ab Occidente Tiberiade, aquis calidis salubri.*

III. de bel. Jud. 18.

94. Diligentius verò etiam eundem expressit Josephus, cui absq; dubio non paullo notior fuit. *Lacus, inquit, Gennesar à terra continente appellatur.* XL. *stadiis in latitudinem patens, centum in longitudinem, aquæ dulcis est atq; potabilis. Palustri enim crassitudine tenuiores habet latices: & undiq; in litora ac arenas desinens, purus est: ac præter hoc temperatus ad hauriendum.*

95 Addit, leniorem ejus aquam esse, quàm sit fluvii aut fontis: frigidiorem quàm lacus ferat natura. Neq; igitur nivibus refrigerandam æstivis noctibus sub dio, quod incolæ facere soleant.

Plin. v. cap. 15.

96. Addit & hoc: Varia esse in eo piscium genera, ab alterius loci piscibus, tam sapore quam specie discreta. Et medium hunc lacum flumine Jordane secari. id quod Plinio quoq; traditum est & notum.

Matth. IV. *Marc.* I. *Matt.* XIII. *Marc.* IV. *Luc.* v. & *Joan.* XXI.

97. Ad hunc lacum discipulos suos, Andream, Petrum, Jacobum, Joannem servator primum sibi delegit. Ad eundem sæpe & libenter versari solitus est, concionibus suis & miraculis eum illustriorem reddens. Quin è navi interim populum confluentem docuit: & piscari Simonem jussit; neq; infeliciter ea res morem gerenti cessit.

Matt. XIV. *Marc.* VI. *Matth.* IIX.

98. Idem Servator & pedibus aliquando hoc mare quasi terram solidam calcavit, idemq; facere postulantem jussit Petrum: & commotum graviter pelagus, imisq; è sedibus excitum, pacavit verbo, atque obmutescere coegit.

Joann. XXI.

99. Ad idem mare discipulis piscantibus, postea quam à mor-

à mortuis resurrexisset, vivum se exhibuit: atq; ut omnem dubitationem ex animis eorum tolleret, quum quidam etiam tum ambigerent, cibum cum eis in litore lacus hujus cepit.

100. Hoc idem *mare Cenereth* etiam appellatum est, ab ea urbe, quæ post Tiberias vocata est, ut diximus. *Hæc enim, apud veteres Cenereth dicebatur, vel Ceneroth, teste Borchardo. qui addit: Est autem longa valde, juxta maris littus per longum disposita: suntq; in ejus australi termino balnea salubria, & destructiones multæ ac magnæ. Palmæ copiosissimæ ibi crescunt, terra pinguis valde, vineis, olivetis, & ficulneis refertissima.*

Josue. XII. *Cap.* VI. §. 5.

101. Sed de Mari Galilææ, sive lacu potius hoc, & urbibus eum cingentibus, hæc nunc sufficiant. Videamus jam breviter & reliquas Galilææ aut Phœniciæ urbes, aliave oppida, aut rebus gestis clara loca.

102. Igitur adverso flumine Jordanis adscendenti occurrit, præter alia minus illustria loca, *Vadum Jacob*. Ita enim crediderunt veteres, Patriarcham Jacob, è patria in Mesopotamiam, metu fratris Esau, profugum, hic transiisse Jordanem: posteaq; reversum, jam mirifice locupletatum, & agnovisse benignitatem Dei, & ingenuè, vel potius piè deprædicasse.

Gen. XXXII.

103. Attingit hoc vadum prope eum *lacum*, quem *Samachonitem* Josephus, aut Semechoniten vocat. Hieronymus *Aquas Merom*, uti & sacræ literæ.

Joseph. III. *bel.* 18. *Hieron. de loc. Hebr. Josu.* XI.

104. Satis etiam hic lacus obtinere spacii scribitur: nisi quod æstivo tempore interdum exsiccatur. Monachus noster de eo ita. *Medio loco inter Velenam & mare Galilæa est vallis quædam, quam defluxus Jordanis ingreditur, quum nives ex Libano resolvuntur: fitq; in valle aquarum col-*

Cap. III. §. 5.

lectio, more stagni: quæ quidem collectio in scripturis sacris Aquæ Meron appellatur.

Josua. XI. 105. *Hic est locus, in quo Josua congressus est cum Jabin rege, aliisq; XXIV. regibus, & victoriam obtinens insequutus est eos usq; ad aquas Masserephot.* Quàm illustris hæc fuerit victoria, præter librum Josuæ, pulchre docet Josephus. *Joseph.* V. *Antiq.* I.

106. Sed de lacu hoc ita pergit Borchardus. *Hæc aquarum collectio æstivis caloribus pro majori sui parte exsiccatur: propter quod arbusta & herbæ, in modum silvulæ densæ, adeo crescunt, quòd leones, ursi, aliaq; silvestria ibi latitant. Et hæc sunt regiæ venationes.*

I. *Reg.* XXIII. II. *Reg.* XXV. *Jere.* XXXIX. & LII. *Ezech.* XII. XVII. XXXII. 107. Non longè inde distabat *Reblatha*, urbs tribus Nephtalím. In qua & Pharao Nechao, rex Ægypti, Joachaz regem Juda in Ægyptum abduxit: & Nabuchodonosor Zedechjæ oculos eruit: quum prius liberos ipsius, & alios principes, in conspectu ejus trucidasset. Post quam calamitatem catenis ferreis vinctum duxit in Babylonem. Ita veritas constitit utriusq; prophetæ vaticiniis.

Joseph. IV. *bel. Hier. in Ezech.* XLVII. 108. Prope hanc urbem ortus fons *Daphnis*, aquis suis eam rigabat peramœnis. Fontis hujus ripæ et amnis copiosâ lauru prætexebantur: ut nobilem illam Antiochiæ Daphnem quodammodo referrent.

Josu. XIX. & *seq.* I. *Paral.* VI. *Jud.* IV. 109. Fuerat & *Cedes Neptalim*, urbs magna & copiosa, medio prope spacio inter lacum Samachoniten, & mare Galilææ, Levitis assignata, & asyli jure donata. Baracus, vir fortis, hanc patriam habuit. Magnificentiam ejus pristinam ruinæ etiam nunc testari perhibentur.

Joseph. XII. *Antiq.* 13. & 18. I. *Macc.* IX. 110. Erat & *Arbellis*, sive Arbela, ei vicina, unde regioni circumjacenti nomen impositum. In ea *spelunca* erat, tutum satis receptaculum adversus hostiles incursus. Eam tamen & Bacchides olim expugnavit, & Josephus bello

Juda-

Judaico adversus Romanos munivit, quum Galilææ præsideret, Hierosolymis dux in eam partem missus, quam contra hostem tueretur.

Josep. de vita sua.

111. Ab ea spelunca non longe aberat *Abela*, quæ Abel & Bethmeacha, urbs munita in superiori Galilæa. Ad quam Joab, cum exercitu Davidis Sebam, hominem seditiosum, persecutus est, eamq; obsedit, & expugnare contendit, quod is in eam urbem se contulisset. Itaq; caput Sebæ recisum, & de muro projectum est. Magnam hujus urbis dignitatem jam olim fuisse, ex oratione fœminæ ejus apparet, quæ Joabo persuasit, ut oppugnationis consilium missum faceret.

II. Sam. XX. Joseph. VII. Antiq. 10.

112. Neq; longè ab ea aberat *Dan*, antiqua & nobilis urbs Phœniciæ: terminus Israelis ad septentrionem: ut Bersabee ad meridiem. Ab illa urbe non longo intervallo distant fontes Jordanis, quorum alteri *Jor*, alteri cognomen erat *Dan*.

Gen. XIV.

113. Urbs ista, prius *Lais*, vel Laïsa, vel etiam Lesem appellata est. Postea à sexcentis viris Daniticæ tribus expugnata, direpta, excisa, & instaurata, nomen mutavit. Invecta per eosdem non levis superstitio est, & statua coli cœpta, quod nefas postea hoc loco auxisse creditur Jeroboamus, rex impius Israëlis. Id malum prophetæ acriter sæpe insectantur.

Josu. XIX. Jud. XIIX. I. Reg. IIX. Esai. X. Jere. IIX. Ezech. XXVII. Amos. IIX.

114. Quin ipse Deus severus tanti criminis vindex, gravibus pœnis civitatem postea castigavit, immissis ei Benhadad Syriæ, & Assyriorum regibus Teglatphulasare & Salmanassare.

I. Reg. XV. II. Reg. XV. II. Par. XVI.

115. Postea, quum in Romanorum potestatem venisset, *Paneas* dicta est, à fonte, qui eam alluit, & Iturææ ac Trachonitidis metropolis habita. A Philippo, Herodis

Hieron. de Loc. Hebr.

Luc. III. Joseph. XIIX. Antiq. 3. & II. bel. 8. & XX. Antiq. 16. Borch. cap. III, §. 4.

Magni filio, valde ornata auctaq; *Cæsarea Philippi* dicta est. Hic Tiberio hunc honorem habuit Imperatori, & nominis immortalitatem ipse etiam ea ratione affectavit. Aliquanto post & *Neronia* aliquamdiu dicta est. Hodie Velenas ab aliquot seculis.

116. Ad hanc urbem quum versaretur Servator noster, è discipulis quæsivit, quemnam homines se dicant esse. Qui quum aliorum judicia, vel potius errores de ipso aperuissent; Petrus omnium nomine præclarè respondet, TU ES CHRISTUS, FILIUS DEI VIVI. quam confessionem magnopere tum probavit Dominus, & à Deo proficisci ejusmodi scientiam ostendit; fore item hanc doctrinam & ecclesiam suam immortalem & invictam.

Matt. XVI. Marc. IIX 27 Luc. IX. 18.

117. Mulier illa, quæ tactâ fimbriâ vestis Domini nostri sanata est, in hac urbe domicilium suum habuisse creditur. Statuam quidem certè, animi memoris & grati monumentum, Servatori nostro statuerat; de qua operæ precium est legere historiam ecclesiæ.

Matt. IX. Euseb. VII. Hist. Eccl. 14. Niceph. VI. cap. 15. Sozō. V. cap. 20.

118. Ab ea non longe aberat *Emath*, vel *Hemath*, Josepho Amathe: cujus incolæ Amatheni. Urbs antiqua & munita in radicibus Libani, ad confinia Damascenæ regionis. Est & hæc in extremis Israëlis finibus ad septentriones.

119. Ad hanc usq; penetrarunt exploratores à Mose missi è Cades barne. Adsignata quidem est tribui Nephtalim ab Josua; verùm illo tempore expugnari non potuit, quod Chananæi eam obtinerent, fortes viri, ab Amathæo, filio Chanaan oriundi.

Num. XIII. Joseph. III. Antiq. 17. Gen. XII. Joseph. I. Antiq. 12.

120. Davidis temporibus rex Emath astutè satis pacem ab eo ac fœdus impetravit. Salomon autem urbem expugnavit, ac munivit, ut & alias in hac regione. Variè dein

II. Sam. IIX. I. Par. XIIX. II. Par. IIX. Joseph. VII.

dein amissa ac recuperata regibus Israëlis quandoq; *Epiphania* ab Antiocho vocata est. In regum ac prophetarum libris frequens ejus est mentio.

Antiq.5. & 11x.6.

121. Regio adjacens ab hac urbe nomen est sortita. Amathensis enim sive Amatheris, aut *terra Emath* dicitur. quam quidam *Ituraam* faciunt. Ea autem à monte Libano descendens ad Tyriorum prope confinia pertingit,

122. Atq; ista, quæ tetigimus, clariora loca sunt in tribu Nephtalim, quæ & *Deacpolis* habebat partem, ubi in mare Galilææ ingreditur Jordanis: *Paneadem* regionem, ubi è duobus fontibus duo torrentes in unum Jordanem, colliguntur: & *Ituraam* cis Jordanem, ad radices Libani; deniq; *Galilaam gentium*, quæ inter eas omnes jnterjecta, attingebat etiam tribum Aser,

123. Reliquum erat quidem, ut & de Libano, &, qui ex eo oritur, Jordane fluvio aliquid adderemus: etiam de quibusdam vicinis urbibus. quod paulo post faciemus. Prius enim de tribu Aser, & maritimis urbibus aliquid est dicendum: è quibus huc nos recipiemus. Inde trans Jordanem digressi illam quoq; oram lustrabimus.

124. Igitur *in tribu Aser*, quæ partem habet Phœniciæ illustriores Ptolemais, Tyrus, Sidon, & quæ inter eas interjecta, Sidoni propior Sarepta.

125. *Ptolemais* ab Ægyptio quodam rege nomen adepta. Acon etiam & Acc est dicta, hodieq; Accon nominatur: quondam Claudii Cæsaris colonia. Persæ hanc olim receptaculum contra AEgyptum perhibentur habuisse.

Plin. v. nat. hist. 19. Strabo. xvi. Judic. 1.

126. Ad signata quidem in distributione terræ fuerat tribui Aser. Verum quod urbs munitissima foret, & cives bellicosi, ab Israëlitis occupari non potuit.

Hieronymus pluribus locis

127. Mari duabus partibus alluebatur. *Portum* habebat

Joseph. 11. bel.

9.& Wilh. Tyr. aliquot locis.

bat ad meridiem insignem, in eoq; *turrim*, quam *muscarum* dictam perhibent. Ad ortum Campus ei latissimus adjacet, idemq; fertilissimus & amœnissimus, quem continui montes claudunt. Quin tribus ex partibus cingitur montibus, ut Josephus demonstrat.

1. *Macc*. v. x. xi. xii. & xiii.

Act. xxi.

128. Jonathas olim, Maccabæi frater, in hac urbe, ubi magnis antea affectus fuerat honoribus, dolo circumventus & suis ab hoste cæsis, ipse captus, posteaq; interfectus est. Paulus Apostolus Hierosolyma adscendens unum diem apud fratres hîc est commoratus.

129. Urbs splendida fuit olim & magnifica, ædibus publicis ac privatis. Variante autem usa fortunâ, modo Christianis, modo Saracenis paruit: à quibus penitus tandem excisa, tamen instaurata est. Hodie centum amplius annis Turcica servitute premitur.

II. bel. 9. Adde Plin. v. Nat. hist. 19.

130. *Ab ea urbe*, ut scribit Josephus, *distans duobus stadiis præterlabitur fluviolus, quem vocant Beleum* (*alii Belum*) *exiguus prorsus. Cui prope est sepulchrum Memnonis, habens juxta se centum fere cubitorum spacium, sed admiratione dignissimum.*

131. *Est enim specie vallis rotundæ, vitream emittens arenam, quam quum exhauserint multæ naves, pariter accedentes locus idem rursus impletur. Venti siquidē, quasi de ditâ operâ, cōvehunt illuc decircumstantibus superciliis arenam istam, utiq; communem. locus autem metalli statim in vitrum quod susceperit, mutat.*

132. *Mirabilius mihi illud quoq; videtur, quod jam conversæ arenæ in vitrum, quæcunq; pars super margines loci ipsius fuerit jacta, in vulgarem arenam denuo convertitur. Hæc Josephus.*

133. Hic fluvius, & illa vallis, ad meridiem claudunt

Ptolemaida: mons autem, qui *Scala Tyriorum* dicitur, ad septentrionem centum stadiis ab urbe abest. Neq; longe amplius *mons Saron*, vineis præstans. In eo aliquot castella quondam Christiani excitaverant.

Joseph. ibid. Borchard. & Breidēbach.

134. Sequuntur in eo littore *Ecdippa* oppidum, & promontorium Album, non clara nimis loca; Plinio tamen memorata. & longo tractu è mediterraneis ad mare usq; descendunt *Montes Tyri*, arces & ipsi aliquot attollentes.

Plin. v. Nat. hist. c. 19.

135. Sed nihil clarius in omni hac ora, quam ipsa *Tyrus*, urbs antiqua, potens, nobilis, & nobilium urbium per diversa orbis mater. de qua etsi multa dici poterant, tamen instituti nostri memores, paucula saltem perscribemus.

Esai. XXIII. Strabo lib. XVI.

136. Urbs hæc rupi durissimæ imposita, undiq; fluctibus marinis alluebatur. Itaq; non solum munitissima erat, sed & opulentissima, emporium nempe orbis terrarum, & domina maris, sacris literis æquè ac prophanis scriptoribus prædicata.

Borch. cap. 11. §. 5.

137. Illis *Zôr* appellatur, & in corde maris sita scribitur, quod insulæ instar omni ex parte mari clauderetur. Multa de ea sunt in libris prophetarum, ut notum. Et non ignotus est Hiramus rex Tyri, qui Salomonem in exstruendo templo suppeditandis lignis & lapidibus adjuvit. Navigationes hujus & Salomonis longinquas etiam memorant sacræ literæ.

Jos. XIX. Ps. XLV. & aliis. Eze. XXVI. & seq. in eum. Hieron. I. Reg. V.

138. Expugnavit tamen urbem hanc, ita munitam, primùm Nabuchodonosor, rex Chaldæorum: deinde longo post intervallo Alexander Macedonum initio, mox & Asiæ rex, conditor monarchiæ Græcanicæ. Hîc enim incredibili molimine jacto aggere, continenti eam junxit, captamque graviter multavit.

Q. Curt. lib. IV. Arrian. II. Diod. Sic. XVII. Plutarch. Alexandro. Strab. I. & XVI.

139. Postea tamen etiam floruit opibus & dignitate: etsi pristinam potentiam recuperare non potuit. Plinii ævo cujusmodi fuerit, ipse satis diserte explicat. *Tyrus quondam insula praalto mari septingentis pass. bus divisa, nunc verò Alexandri oppugnantis operibus continens, olim partu clara, urbibus genitis, Lepti Uticâ, & illâ Rom. imperii æmulâ, terrarum orbis avidâ Carthagine: etiam Gadibus extra orbem conditis.*

v. Nat. hist. 19. Ad le Melam. lib. 1 cap. 12.

140. *Nunc omnis ejus nobilitas conchylio atque purpurâ constat. Circuitus* XIX. *mil. passuum est, intra Palætyro inclusa. Oppidum ipsum* XXII. *stadia obtinet.* De purpura quod ait, neminem tam in bonis literis hospitem arbitror, qui Tyriæ purpuræ nobilitatem prorsus ignoret.

Strab. XVI.

141. Sequentibus etiam seculis munita admodum fuit, mœnibus, turribus ac propugnaculis. Portu eximio, & feraci solo beata, domiciliis tam privatis, quàm publicis superba, opibus ac divitiis affluens.

Wilh. Tyr. li. XII. XIII. *&* XIX. *li. eq. Borch. cap.* 11. §. 5.

142. Re navali præstiterunt multis aliis Tyrij, eaque utebantur non modò in commerciis, sed & bello. Armorum etiam studiis ac peritiâ excellebant. Itaque tribus Aser, cui obvenerant, expellere habitatores ejus non potuit.

Joseph. IX. *Antiq.* XV. *& 1. cont. Apionem.*

143. Superstitioni & Idolorum cultui dedita civitas fuit. Et tamen cum regibus ac populo Judaico amicitiam ferme coluit. Postea quam Christi legem accepisset, constanter religionem eam professa, nullis persecutionum procellis sese frangi, aut ab ea averti passa est.

Joseph. XII. *Antiq.* 5. *& 1. contra. Apionem.*

144. Christum multi Tyriorum sequuti sunt, ut divinos ipsius sermones haurirent. Quo studio videntur perfecisse, ut Servator ipse in fines Tyri ac Sidonis profectus, lucis suæ radiis illos quoque collustraret, & beneficiis afficeret.

Marc. III. *Luc.* VI. *Matth.* XV.

145. Pan-

Act. XXI.

145. Paulum Apostolum, Hierosolymam pergentem septem diebus apud se detinuerunt, & divinitus de periculis ei impendentibus edocti, deterrere conati sunt, ne Hierosolymam iret. Cui quum non persuaderent, ex urbe digredientem ad littus cum uxoribus & liberis prosequuti, & ingenua provoluti, preces ad Deum fuderunt, abeuntiq; Ptolemaida benè precati sunt.

146. Mirâ deinde constantiâ eam religionem defendêre: donec à Sarracenis capta, â Christianis recuperata urbs, iterumque capta infidelium jugum subire cogeretur, qui hodieque eam possident.

Hist. Eccles. Euseb. Niceph. & Wilhel. Tyrii.

147. Triginta stadiis à Tyro aberat *Tyrus antiqua* ortum versus, Palætyrus ferme appellata, etiam Latinis scriptoribus. Inter utramq; erumpunt *fontes quatuor*: quorum maximus *aquarum viventium* dicitur *puteus*. Ex hisce fontibus, uberrimas aquas scaturire, indeq; aquæ ductibus multis totam regionem irrigari memoriæ proditum est.

Strabo & Plinius.

De his vide Borch. cap. 11. §. 4. *copiose.*

148. Ducentis stadiis à Tyro distat *Sidon*, urbs antiquitate, magnitudine & figurâ comparanda Tyro: ut incertum sit, utra alterius mater putari debeat. Sidonem quidem, Chanaan primogenitum, ortum & nomen huic dedisse non est dubium.

Strab. XVI. *Joseph.* I. *Antiq.* 7. *Hieron. aliquot locis. Borch. cap.* 11. §. 8.

149. Non vicina tantum est Tyro, sed plerisque rebus ei prorsus similis. Itaque de illa quæ dicta sunt, de hac quoque accipi pleraque rectè possunt. Sidon tamen Homeri & poetarum scriptis celebrata magis est, ut demonstrat ipse Strabo.

Strabo. & alis jam dicti.

150. Bonarum artium studiis hæ urbes Phœniciæ ita fuerunt deditæ, ut quasdam earum invenisse etiam credantur, Astronomiam inprimis & Arithmeticam, ut

Strab. ibid.

Ægyptii Geometriam. Cui rei occasionem præbuisse ratiocinationem & navigationem nocturnam, idem Strabo auctor est: quæ sunt mercatorum & nautarum artes.

151. Quin litteras ipsas, & prima scribendi rudimenta quidam Phœnicibus accepta ferunt. Noti sunt versiculi.

Lucan. III. *Phras.*

Phœnices primi, famæ si credimus, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

152. Duas quidem has urbes philosophiæ universæ peritas esse, eamque rectè hinc peti, Strabo ait, & præstantes aliquot eruditione viros enumerat, quos Tyrus dedit, aut Sidon. Quibus plures addere non foret arduum; si id nunc ageretur; aut si quem id postulare crederemus.

Lib. Regum.

153. Illud unum nunc dicimus, superstitione primum, deinde etiam studio religionis veræ, geminas eas urbes fuisse: & pari propemodum fato usas. Sidoni hoc tamen peculiare, quod mira arte ac felicitate vitra conficeret elegantissima, arenam ei commodam suppeditante ipsâ naturâ. Itaque Plinio est *artifex vitri, Thebarumq; Bœotiarum parens.*

Strabo.ib. *Plin.*v. *Nat. hist.*19.

154. Inter Sidonem & Tyrum interjecta erat *Sarepta*, quæ Hebræis est Sarphat. in qua paupercula vidua Eliam prophetam olim pavit, ejusq; beneficio contrà cum filio suo divinitus sustentata est, atq; à dira fame vindicata. Quin mortuum filium Prophetæ precibus recuperavit.

1.*Reg.*XVII. *Luc.*IV. 25. *Plin. ibid.* *Borch.cap.* II. §. 7.

155. Sidoniorum eam fuisse urbem peculiarem, è Luca propemodum conjicias. Hic enim Sareptam Sidoniorum vocat. Magnam & splendidam fuisse, ruinas ædium arguere perhibent, & generoso nobilem vino. De quo Sidonius.

Carm. XVII.

Vina mihi non sunt Gazetica, Chia, Falerna,
Quæq; Sareptano palmite missa bibas.

156. Sa-

156. Sareptam inter & Tyrum, *Eleutherus* fluvius, Libano monte editus in Ituræa, Galilæam gentium perluens, in mare abit mediterraneum. Hujus fluvii frequens apud Josephum est mentio. Testudinum magnam vim in hunc fluvium certo anni tempore adscendere è mari Phœnicio, Plinius auctor est.

Plin. v. 29. *Borch. cap.* 11. §. 6.

157. Antonius olim, precibus Cleopatræ inductus, præter palmetum quod erat in Hierichunte, in quo balsamum gignitur, civitates cunctas intra Eleutherum fluvium, exceptâ Tyro & Sidone, ei donavit. Herodis tamen & Malichi saluti, quibus illa insidias struebat, pepercit.

Joseph. I. *bel.* 13.

158. Urbibus hisce prætexitur à septentrione in meridiem *Antilibanus*, mons vinearum cultu inclitus, non longè à mari magno submotus, quibusdam etiam locis mari contiguus.

Borch. cap. 11 §. 8.

159. Ultra eum in Planicie Libani sita erat *Cana major* ita dicta ad differentiam ejus, ubi Christus aquam in vinũ' mutavit. Hincne orta fuerit mulier illa, cujus filiam dæmone liberavit Christus, an gente Chananæa, docti viderint. posterius quidem videtur probabilius.

Hieron. de loc. Hebr. *Matth.* xv. *Marc.* vII.

160. Hæc & quædam aliæ, non nimis illustres urbes, intra Eleutherum fluvium, & Libanum montem, sitæ fuere. Una tamen ibi etiam ponitur, ad radices montis, *Enoch*, quæ Josepho *Enosa*, urbium omnium, quas orbis habet, antiquissima credita. Hæc enim illa esse putatur, quã Cain ædificatam, de nomine primogeniti sui appellavit.

161. Extra Eleutherum, intra eundem fluvium & Jeptacl, sive tribum Zabulon, erat *Galilæa Gentium*, sive Superior. In qua cum alia oppida erant, tum *Giscala*, nobilis urbs in historia belli Judaici apud Josephum.

IV. *bel.* 4.

162. Ibidem statuitur *Terra Chabul*, sive Cabul, in

1. *Reg.* IX. 1. *Par*, IIX.

Hieronym. de Loc. Hebr. & alii. *Joseph.* IIX. *Antiq.* 5.

confinio Tyri: ubi XX. urbes Tyriorum regi Hiramo dedit Salomo, precium materiei, quam is ad ædificandum templum, & regias domus ipsi miserat. Eas tamen ab illo spretas, ipse postea Salomon instauravit.

163. Atq; hactenus fuit tribus Aser, & fines Israelitarum hîc desinebant in monte Libano, versus septentriones, de quo monte, quando huc jam deventum, aliquid etiam est dicendum.

Plin. V. *Nat. Hist.* 20.

164. Igitur *Libanus*, mons Phœniciæ celebertimus, & cujus tot locis in sacris literis, aliisq; scriptoribus mentio fit, prope Sidonem ortus, procurrit prope rectâ lineâ Damascum usque, ab occasu in ortum.

165. Idem altissimus est montium hujus oræ. Caput enim perpetuis nivibus candicans in nubibus condit. Tacito Judæa *præcipuum montium Libanum erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum, fidumque nivibus.*

V. *Hist.* 6.

Joseph. IIX. *Antiq.* 2.

166. Cedris tamen aliisq; pulcherrimis arboribus decorus, & herbis salutaribus ac fragrantissimis sparsus, marmoribus insuper firmissimis & candidissimis suffultus, mirificas accolis conciliat utilitates.

Hieron. III. *Comment. ad* XI. *c. Zachar & Ezech.* XVII.

167. Hinc lapides & ligna petita ad structuram templi, & aliorum operum, quæ reges principesque Hierosolymis excitarunt; unde ipsis etiam Libani interdum nomen imponitur: templo, inquam, palatiis, ipsique adeo toti urbi.

Esai. XL. 16.

168. Victimæ etiam in templo immolandæ, in vallibus Libani, quæ pascuis lætis præstabant, magna ex parte saginabantur. Unde & pro victimis Libani vox usurpatur, ut observavit Hieronymus.

In Habac. c. II.

169. Qui

169. Qui scriptor eruditus, & vir sanctissimus, pluscu- lis locis naturam Libani persequitur. De altitudine e nim & arboribus ejus ita scribit: *Nihil Libano in terra repromissionis excelsius est, nec nemorosius, atq; condensius.* Et alibi: *fertilissimus & virens, densissimis arborum comis protegitur.* Et iterum: *Libanus mons Phœnicis est, celsis arboribus consitus, quas Psalmista describens ait: Vidi impium super exaltatum & elevatum, quasi Cedros Libani. Et in alio loco: Conteret Dominus cedros Libani: multaque alia, quæ studio brevitatis prætereo.*

In c.IX. Zach & in XVI. Oseæ.

In Esaia. c. LX. Ps. XXXVII & XXXVIII. Adde eundē in c. XXII. Jerem.

170. Thuris etiam optimi magnam copiam gignebat; unde & pro thure Libanus usurpatur. Denique multis naturæ dotibus excellebat, ut non sine caussa Moses eum quoq; propius contueri desiderarit. *Transibo, inquit, & videbo terram hanc optimam trans Jordanem, & montem istum egregium, & Libanum.* Quod tamen frustra optavit. Jussus enim in verticem montis Phasge, id est, Nebo ascendere, mortuus ibi est.

Hieron. in c. XIV. Oseæ quē locū vide totum.

Deut. III.

Deuter. XXXIV.

171. Idem flumina cùm alia fundit, tùm Jordanem, longè nobilissimum. Obscuriores enim sunt Chrysorrhoas, Eleutherus, Lycus, Adonis, & si qui alii subjecta monti huic loca, aut longius dissita rigabant.

Plin. v. Nat. hist. 20. Strabo. lib. XVI.

172. Regiones Libano vicinæ erant *Syrophœnicia*, ubi Campus Libani, in quo D. Georgius fertur occiso dracone filiam regis virginem liberavisse, suisque salvam reddidisse. Per eam regionem Adonis fl. decurrit.

173. Est & *Chalcis* in parte ejus septentrionali, & *Abylene* cum Syria Libanica. Nam *Damascus*, cum ea parte Syriæ, quæ ab urbe ea dicta est, ad ortum vergit. Spectat hanc tam nobilem Syriæ urbem, *turris Libani*, ab Sa-

lomone

Lib. III. Joseph. XIIX. *Antiq.* 3. & II. *bel.* 8. & XX. *Antiq.* 16. *Borch. cap.* III, §. 4.

Magni filio, valde ornata auctaq; *Cæsarea Philippi* dicta est. Hic Tiberio hunc honorem habuit Imperatori, & nominis immortalitatem ipse etiam ea ratione affectavit. Aliquanto post & *Neronia* aliquamdiu dicta est. Hodie Velenas ab aliquot seculis.

116. Ad hanc urbem quum versaretur Servator noster, è discipulis quæsivit, quemnam homines se dicant esse. Qui quum aliorum judicia, vel potius errores de ipso aperuissent; Petrus omnium nomine præclarè respondet, TU ES CHRISTUS, FILIUS DEI VIVI. quam confessionem magnopere tum probavit Dominus, & à Deo proficisci ejusmodi scientiam ostendit; fore item hanc doctrinam & ecclesiam suam immortalem & invictam.

Matt. XVI. Marc. IIX 27 *Luc.* IX. 18.

117. Mulier illa, quæ tactâ fimbriâ vestis Domini nostri sanata est, in hac urbe domicilium suum habuisse creditur. Statuam quidem certè, animi memoris & grati monumentum, Servatori nostro statuerat: de qua operæ precium est legere historiam ecclesiæ.

Matt. IX. *Euseb.* VII. *Hist. Eccl.* 14. *Niceph.* VI. *cap.* 15. *Sozõ.* V. *cap.* 20.

118. Ab ea non longe aberat *Emath*, vel *Hemath*, Josepho Amathe: cujus incolæ Amatheni. Urbs antiqua & munita in radicibus Libani, ad confinia Damascenæ regionis. Est & hæc in extremis Israëlis finibus ad septentriones.

119. Ad hanc usq; penetrarunt exploratores à Mose missi è Cades barne. Adsignata quidem est tribui Nephtalim ab Josua; verùm illo tempore expugnari non potuit, quod Chananæi eam obtinerent, fortes viri, ab Amathæo, filio Chanaan oriundi.

Num. XIII. Joseph. III. *Antiq.* 17. *Gen.* XII. Joseph. I. *Antiq.* 12.

120. Davidis temporibus rex Emath astutè satis pacem ab eo ac fœdus impetravit. Salomon autem urbem expugnavit, ac munivit, ut & alias in hac regione. Variè dein

II. *Sam.* IIX. I. *Par.* XIIX. II. *Par.* IIX. Joseph. VII.

dein amiſſa ac recuperata regibus Iſraëlis quandoq; *Epiphania* ab Antiocho vocata eſt. In regum ac prophetarum libris frequens ejus eſt mentio.

Antiq.s.& IIX.6.

121. Regio adjacens ab hac urbe nomen eſt ſortita. Amathenſis enim ſive Amatheris, aut *terra Emath* dicitur. quam quidam *Ituræam* faciunt. Ea autem à monte Libano deſcendens ad Tyriorum prope confinia pertingit.

122. Atq; iſta, quæ tetigimus, clariora loca ſunt in tribu Nephtalim, quæ & *Deacpolis* habebat partem, ubi in mare Galilææ ingreditur Jordanis: *Paneadem* regionem, ubi è duobus fontibus duo torrentes in unum Jordanem, colliguntur: & *Ituræam* cis Jordanem, ad radices Libani; deniq; *Galilæam gentium*, quæ inter eas omnes jnterjecta, attingebat etiam tribum Aſer.

123. Reliquum erat quidem, ut & de Libano, &, qui ex eo oritur, Jordane fluvio aliquid adderemus: etiam de quibuſdam vicinis urbibus. quod paulo poſt faciemus. Prius enim de tribu Aſer, & maritimis urbibus aliquid eſt dicendum: è quibus huc nos recipiemus. Inde trans Jordanem digreſſi illam quoq; oram luſtrabimus.

124. Igitur *in tribu Aſer*, quæ partem habet Phœniciæ illuſtriores Ptolemais, Tyrus, Sidon, & quæ inter eas interjecta, Sidoni propior Sarepta.

125. *Ptolemais* ab Ægyptio quodam rege nomen adepta. Acon etiam & Ace eſt dicta, hodieq; Accon nominatur: quondam Claudii Cæſaris colonia. Perſæ hanc olim receptaculum contra AEgyptum perhibentur habuiſſe.

Plin.v.nat. hiſt.19. Strabo.XVI. Judic.1.

126. Ad ſignata quidem in diſtributione terræ fuerat tribui Aſer. Verum quod urbs munitiſſima foret, & cives bellicoſi, ab Iſraëlitis occupari non potuit.

Hieronymus pluribus locis

127. Mari duabus partibus alluebatur. *Portum* habebat

Joſeph.II.bel.

Ptolemaida: mons autem, qui *Scala Tyriorum* dicitur, ad septentrionem centum stadiis ab urbe abest. Neq; longe amplius *mons Saron*, vineis præstans. In eo aliquot castella quondam Christiani excitaverant.

Joseph. ibid. Borchard. & Breidebach.

134. Sequuntur in eo littore *Ecdippa* oppidum, & promontorium Album, non clara nimis loca; Plinio tamen memorata. & longo tractu è mediterraneis ad mare usq; descendunt *Montes Tyri*, arces & ipsi aliquot attollentes.

Plin. v. Nat. hist. c. 19.

135. Sed nihil clarius in omni hac ora, quam ipsa *Tyrus*, urbs antiqua, potens, nobilis, & nobilium urbium per diversa orbis mater. de qua etsi multa dici poterant, tamen instituti nostri memores, paucula saltem perscribemus.

Esai. XXIII. Strabo lib. XVI.

136. Urbs hæc rupi durissimæ imposita, undiq; fluctibus marinis alluebatur. Itaq; non solum munitissima erat, sed & opulentissima, emporium nempe orbis terrarum, & domina maris, sacris literis æquè ac prophanis scriptoribus prædicata.

Borch. cap. II. §. 5.

137. Illis *Zôr* appellatur, & in corde maris sita scribitur, quod insulæ instar omni ex parte mari clauderetur. Multa de ea sunt in libris prophetarum, ut notum. Et non ignotus est Hiramus rex Tyri, qui Salomonem in exstruendo templo suppeditandis lignis & lapidibus adjuvit. Navigationes hujus & Salomonis longinquas etiam memorant sacræ literæ.

Jos. XIX. Ps. XLV. & aliis. Eze. XXVI. & seq. in eum. Hieron. I. Reg. V.

138. Expugnavit tamen urbem hanc, ita munitam, primùm Nabuchodonosor, rex Chaldæorum: deinde longo post intervallo Alexander Macedonum initio, mox & Asiæ rex, conditor monarchiæ Græcanicæ. Hîc enim incredibili molimine jacto aggere, continenti eam junxit, captamque graviter multavit.

Q. Curt. lib. IV. Arrian. II. Diod. Sic. XVII. Plutarch. Alexandro. Strab. I. & XVI.

Aa 139. Postea

139. Poſtea tamen etiam floruit opibus & dignitate: etſi priſtinam potentiam recuperare non potuit. Plinii ævo cujuſmodi fuerit, ipſe ſatis diſerte explicat. *Tyrus quondam inſula præalto mari ſeptingentis paſſibus diviſa, nunc verò Alexandri oppugnantis operibus continens, olim partu clara, urbibus genitis, Lepti Uticâ, & illâ Rom. imperii æmulâ, terrarum orbis avidâ Carthagine: etiam Gadibus extra orbem conditis.*

v. Nat. hiſt. 19. Ad le Melam. lib. 1 cap. 12.

140. *Nunc omnis ejus nobilitas conchylio atque purpurâ conſtat. Circuitus* XIX. *mil. paſſuum eſt, intra Palætyro incluſa. Oppidum ipſum* XXII. *ſtadia obtinet.* De purpura quod ait, neminem tam in bonis literis hoſpitem arbitror, qui Tyriæ purpuræ nobilitatem prorſus ignoret.

Strab. XVI.

141. Sequentibus etiam ſeculis munita admodum fuit, mœnibus, turribus ac propugnaculis. Portu eximio, & feraci ſolo beata, domiciliis tam privatis, quàm publicis ſuperba, opibus ac divitiis affluens.

Wilh. Tyr. lib. XII. XIII. & XIX. It&c. Borch. cap. II. §. 5.

142. Re navali præſtiterunt multis aliis Tyrij, eaque utebantur non modò in commerciis, ſed & bello. Armorum etiam ſtudiis ac peritiâ excellebant. Itaque tribus Aſer, cui obvenerant, expellere habitatores ejus non potuit.

Joſeph. IX. Antiq. XV. & I. cont. Apionem,

143. Superſtitioni & Idolorum cultui dedita civitas fuit. Et tamen cum regibus ac populo Judaico amicitiam fermè coluit. Poſtea quam Chriſti legem accepiſſet, conſtanter religionem eam profeſſa, nullis perſecutionum procellis ſeſe frangi, aut ab ea averti paſſa eſt.

Joſeph. XII. Antiq. 5. & I. contra. Apionem.

144. Chriſtum multi Tyriorum ſequuti ſunt, ut divinos ipſius ſermones haurirent. Quo ſtudio videntur perfeciſſe, ut Servator ipſe in fines Tyri ac Sidonis profectus, lucis ſuæ radiis illos quoque colluſtraret, & beneficiis afficeret.

Marc. III. Luc. VI. Matth. XV.

145. Pan-

145. Paulum Apoſtolum, Hieroſolymam pergentem ſeptem diebus apud ſe detinuerunt, & divinitus de periculis ei impendentibus edocti, deterrere conati ſunt, ne Hieroſolymam iret. Cui quum non perſuaderent, ex urbe digredientem ad littus cum uxoribus & liberis proſequuti, & ingenua provoluti, preces ad Deum fuderunt, abeuntiq; Ptolemaida benè precati ſunt.

Act. XXI.

146. Mirâ deinde conſtantiâ eam religionem defendêre: donec à Sarracenis capta, â Chriſtianis recuperata urbs, iterumque capta infidelium jugum ſubire cogeretur, qui hodieque eam poſſident.

Hiſt. Eccleſ. Euſeb. Niceph. & Wilhel. Tyrii.

147. Triginta ſtadiis à Tyro aberat *Tyrus antiqua* ortum verſus, Palætyrus ferme appellata, etiam Latinis ſcriptoribus. Inter utramq; erumpunt *fontes quatuor*: quorum maximus *aquarum viventium* dicitur *puteus*. Ex hiſce fontibus, uberrimas aquas ſcaturire, indeq; aquæ ductibus multis totam regionem irrigari memoriæ proditum eſt.

Strabo & Plinius.

De his vide Borch. cap. II. §. 4. copioſe.

148. Ducentis ſtadiis à Tyro diſtat *Sidon*, urbs antiquitate, magnitudine & figurâ comparanda Tyro: ut incertum ſit, utra alterius mater putari debeat. Sidonem quidem, Chanaan primogenitum, ortum & nomen huic dediſſe non eſt dubium.

Strab. XVI. *Joſeph.* I. *Antiq.* 7. *Hieron. aliquot locis. Borch. cap.* II. §. 8.

149. Non vicina tantum eſt Tyro, ſed pleriſque rebus ei prorſus ſimilis. Itaque de illa quæ dicta ſunt, de hac quoque accipi pleraque rectè poſſunt. Sidon tamen Homeri & poetarum ſcriptis celebrata magis eſt, ut demonſtrat ipſe Strabo.

Strabo. & aliis jam dicti.

150. Bonarum artium ſtudiis hæ urbes Phœniciæ ita fuerunt deditæ, ut quaſdam earum inveniſſe etiam credantur, Aſtronomiam inprimis & Arithmeticam, ut

Strab. ibid.

Ægyptii Geometriam. Cui rei occasionem præbuisse ratiocinationem & navigationem nocturnam, idem Strabo auctor est: quæ sunt mercatorum & nautarum artes.

151. Quin litteras ipsas, & prima scribendi rudimenta quidam Phœnicibus accepta ferunt. Noti sunt versiculi.

Lucan. III. *Phras.*

Phœnices primi, famæ si credimus, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

152. Duas quidem has urbes philosophiæ universæ peritas esse, eamque rectè hinc peti, Strabo ait, & præstantes aliquot eruditione viros enumerat, quos Tyrus dedit, aut Sidon. Quibus plures addere non foret arduum; si id nunc ageretur; aut si quem id postulare crederemus.

Lib. Regum. *Strabo. ib.* *Plin.* V. *Nat. hist.* 19.

153. Illud unum nunc dicimus, superstitione primum, deinde etiam studio religionis veræ, geminas eas urbes fuisse: & pari propemodum fato usas. Sidoni hoc tamen peculiare, quod mira arte ac felicitate vitra conficeret elegantissima, arenam ei commodam suppeditante ipsâ naturâ. Itaque Plinio est *artifex vitri, Thebarumq; Bœotiarum parens.*

1. *Reg.* XVII. *Luc.* IV. 25. *Plin. ibid.* *Borch. cap.* II. §. 7.

154. Inter Sidonem & Tyrum interjecta erat *Sarepta*, quæ Hebræis est Sarphat. in qua paupercula vidua Eliam prophetam olim pavit, ejusq; beneficio contrà cum filio suo divinitus sustentata est, atq; à dira fame vindicata. Quin mortuum filium Prophetæ precibus recuperavit.

155. Sidoniorum eam fuisse urbem peculiarem, è Luca propemodum conjicias. Hic enim Sareptam Sidoniorum vocat. Magnam & splendidam fuisse, ruinas ædium arguere perhibent, & generoso nobilem vino. De quo Sidonius.

Carm. XVII.

Vina mihi non sunt Gazetica, Chia, Falerna,
Quæq; Sareptano palmite missa bibas.

156. Sa-

156. Sareptam inter & Tyrum, *Eleutherus* fluvius, Libano monte editus in Ituræa, Galilæam gentium perluens, in mare abit mediterraneum. Hujus fluvii frequens apud Josephum est mentio. Testudinum magnam vim in hunc fluvium certo anni tempore adscendere è mari Phœnicio, Plinius auctor est.

Plin.v.19. Borch. cap. 11.§.6.

157. Antonius olim, precibus Cleopatræ inductus, præter palmetum quod erat in Hierichunte, in quo balsamum gignitur, civitates cunctas intra Eleutherum fluvium, exceptâ Tyro & Sidone, ei donavit. Herodis tamen & Malichi saluti, quibus illa insidias struebat, pepercit.

Joseph. 1. bel. 13.

158. Urbibus hisce prætexitur à septentrione in meridiem *Antilibanus*, mons vinearum cultu inclitus, non longè à mari magno submotus, quibusdam etiam locis mari contiguus.

Borch. cap. 11 §. 8.

159. Ultra eum in Planicie Libani sita erat *Cana major* ita dicta ad differentiam ejus, ubi Christus aquam in vinū' mutavit. Hincne orta fuerit mulier illa, cujus filiam dæmone liberavit Christus, an gente Chananæa, docti viderint. posterius quidem videtur probabilius.

Hieron. de loc. Hebr. Matth. xv. Marc. vii.

160. Hæc & quædam aliæ, non nimis illustres urbes, intra Eleutherum fluvium, & Libanum montem, sitæ fuere. Una tamen ibi etiam ponitur, ad radices montis, *Enoch*, quæ Josepho *Enosa*, urbium omnium, quas orbis habet, antiquissima credita. Hæc enim illa esse putatur, quā Cain ædificatam, de nomine primogeniti sui appellavit.

161. Extra Eleutherum, intra eundem fluvium & Jeptael, sive tribum Zabulon, erat *Galilæa Gentium*, sive Superior. In qua cum alia oppida erant, tum *Giscala*, nobilis urbs in historia belli Judaici apud Josephum.

iv. bel. 4.

162. Ibidem statuitur *Terra Chabul*, sive Cabul, in

1. Reg. ix. 1. Par. iix.

Hieronym. de Loc. Hebr. & alii.
Joseph. IIX. *Antiq.* 5.

confinio Tyri: ubi XX. urbes Tyriorum regi Hiramo dedit Salomo, precium materiei, quam is ad ædificandum templum, & regias domus ipsi miserat. Eas tamen ab illo spretas, ipse postea Salomon instauravit.

163. Atq; hactenus fuit tribus Aser, & fines Israelitarum hîc desinebant in monte Libano, versus septentriones, de quo monte, quando huc jam deventum, aliquid etiam est dicendum.

Plin. V. *Nat. Hist.* 20.

164. Igitur *Libanus*, mons Phoeniciæ celebertimus, & cujus tot locis in sacris literis, aliisq; scriptoribus mentio fit, prope Sidonem ortus, procurrit prope rectâ lineâ Damascum usque, ab occasu in ortum.

165. Idem altissimus est montium hujus oræ. Caput enim perpetuis nivibus candicans in nubibus condit. Tacito Judæa *præcipuum montium Libanum erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum, fidumque nivibus.*

V. *Hist.* 6.

Joseph. IIX. *Antiq.* 2.

166. Cedris tamen aliisq; pulcherrimis arboribus decorus, & herbis salutaribus ac fragrantissimis sparsus, marmoribus insuper firmissimis & candidissimis suffultus, mirificas accolis conciliat utilitates.

Hieron. III. *Comment. ad* XI. *c. Zachar & Ezech.* XVII.

167. Hinc lapides & ligna petita ad structuram templi, & aliorum operum, quæ reges principesque Hierosolymis excitarunt; unde ipsis etiam Libani interdum nomen imponitur: templo, inquam, palatiis, ipsique adeo toti urbi.

Esai. XL. 16.
In Habac. c. II.

168. Victimæ etiam in templo immolandæ, in vallibus Libani, quæ pascuis lætis præstabant, magna ex parte saginabantur. Unde & pro victimis Libani vox usurpatur, ut observavit Hieronymus.

169. Qui

169. Qui scriptor eruditus, & vir sanctissimus, pluscu lis locis naturam Libani persequitur. De altitudine e nim & arboribus ejus ita scribit: *Nihil Libano in terra repromissionis excelsius est, nec nemorosius, atq; condensius.* Et alibi: *fertilissimus & virens, densissimis arborum comis protegitur.* Et iterum: *Libanus mons Phœnicis est, celsis arboribus consitus, quos Psalmista describens ait: Vidi impium super exaltatum & elevatum, quasi Cedros Libani. Et in alio loco: Conteret Dominus cedros Libani: multaque alia, quæ studio brevitatis prætereo.*

Fi.c.IX.Zach & in XVI. *Osea.*

In Esaia. c. LX. *Ps.* XXXVII *&* XXXVIII. *Adde eundẽ in c.* XXII. *Jerem.*

170. Thuris etiam optimi magnam copiam gignebat; unde & pro thure Libanus usurpatur. Denique multis naturæ dotibus excellebat, ut non sine caussa Moses eum quoq; propius contueri desiderarit. *Transibo, inquit, & videbo terram hanc optimam trans Jordanem, & montem istum egregium, & Libanum.* Quod tamen frustra optavit. Jussus enim in verticem montis Phasge, id est, Nebo ascendere, mortuus ibi est.

Hieron. in c. XIV. *Oseæ quẽ locũ vide totum.*

Deut. III.

Deuter. XXXIV.

171. Idem flumina cùm alia fundit, tùm Jordanem, longè nobilissimum. Obscuriores enim sunt Chrysorrhoas, Eleutherus, Lycus, Adonis, & si qui alii subjecta monti huic loca, aut longius dissita rigabant.

Plin. V. *Nat. hist.* 20. *Strabo. lib.* XVI.

172. Regiones Libano vicinæ erant *Syrophœnicia*, ubi Campus Libani, in quo D. Georgius fertur occiso dracone filiam regis virginem liberavisse, suisque salvam reddidisse. Per eam regionem Adonis fl. decurrit.

173. Est & *Chalcis* in parte ejus septentrionali, & *Abylene* cum Syria Libanica. Nam *Damascus*, cum ea parte Syriæ, quæ ab urbe ea dicta est, ad ortum vergit. Spectat hanc tam nobilem Syriæ urbem, *turris Libani*, ab Salomone

lomone rege in vertice montis condita, unde prospectus patebat in urbem.

174. Longius etiam hac in parte à Libano distabat *Palmyra*, cum regione ac deserto, ab ea urbe appellationem sortito.

Gen. XIV.

175. *Hoba* item, ad quam usque Abrahamus victor persequutus est reges gentium. Et *Cava Syria*, quam, usitato etiam Latinis verbo Græco, Cœlesyriam vocant.

Strab. lib. XVI. Plin. V. c. 20.

176. Libano obtenditur *Antilibanus*, (qui & nomen inde traxit) quondam muro illi conjunctus. Inter hos montes concludit Strabo Cœlesyriam, & spacium ejus indicat.

177. *Duo montes, inquit, sunt, qui Syriam cavam includunt, æqualibus fere inter se dissiti spaciis, Libanus & Antilibanus, paullo supra mare incipientes: Libanus prope Tripolim, & Dei faciem; Antilibanus prope mare Sidonium, desinunt autem ad Arabiæ montes, qui sunt ultra Damascum, & eos, qui ibi Trachonitæ dicuntur, in alios quosdam montes, qui glebosos atque fructiferos colles habent.*

178 *In medio concavitatem planam relinquunt, cujus latitudo ad mare est stadiorum* CC. *longitudo à mari in mediterranea, dupla. Irrigatur autem fluminibus, per regionem fæcundam, & omnium rerum feracem delabentibus, præsertim à Jordane.* Hactenus Strabo.

179. Quumque jam in septentrionali latere Palæstinæ ad limitem ejus extremum perventum sit, flectendus nobis est cursus ad ea, quæ supersunt. Non enim quenquam postulare arbitror, ut alias Syriæ, Chaldææ, Mesopotamiæ, aut remotiorum etiam regionum urbes enumeremus; etsi earum quoque nonnullarum frequens

in

in ſacris literis fit mentio. Neque enim id nunc recepimus, & alio tempore, favente Deo, pro viribus præſtare conabimur.

180. Quamquam, ut hoc quaſi in anteceſſum demus, non eſt obſcurum, ſupra Sidonem ad idem mare fuiſſe *Berytum & Tripolim*, itemq; *Antiochiam* & Orontem fl. & *Laodiceam, & Apameam, & Seleuciam*, nobiles olim & potentes urbes: etſi quædam earum mediterraneæ erant.

181. Nec Ciliciæ *Tarſus*, Pauli Apoſtoli patria, nec *Antiochia* altera, ad radices Tauri montis, eiq; vicina *Edeſſa*, (quas inter Euphrates, fluvius celeberrimus, in Armenia ortus majori, Taurum perrumpens deſcendit) ignota oppida ſunt.

182. Nec *Carræ*, ſive Charan Meſopotamiæ, Abrahami quondam domicilio, & Craſſi interitu nobilitatæ; neq; *Ninus*, ſive Ninive ad Tigrim fluvium: non *Ecbatana & Rages* in Medis; non *Perſepolis & Suſa* in Perſide: non denique *Babylon* ad Euphratem, *Seleucia, Cteſiphon, Apamea*: non *Ur* Chaldæorum, cuiquam eſſe poſſunt incognita, niſi ſi quis prorſus in ſacris pariter ac prophanis literis ſit hoſpes.

183. His igitur prætermiſſis, ad Jordanis fontes in Libani radicibus, & fluminis ejus decurſum, regionemq; trans Jordanem redeamus, & propoſitum nobis ſpacium plenè decurramus.

CAPUT X.

De Jordane fluvio, & regione trans eum, sive tribubus reliquis, & vicinis ei regnis.

JOrdanem, fluvium multis eventis, rebusque ad eum gestis nobilem, in utriusque Testamenti libris, è Libano monte oriri constat, duobus fontibus editum, *Jor* & *Dan*: quorum aquis in unum alveum confluentibus, utriusque etiam fontis nomen inditum, sive conservatum.

2. De iis, quæ amnem hunc toto orbe clarissimum reddiderunt, paulò post aliquid memorabimus. Prius enim de ortu ejus & natura nonnulla præmittenda sunt, etiam aliis scriptoribus nota.

Lib. v. Nat. hist. 15. Cui junge Strabonem lib. XVI.

3. Plinius, *Jordanis*, inquit, *amnis oritur è fonte Paneade, qui cognomen dedit Cæsareæ. Amnis amœnus, & quatenus locorum situs patitur, ambitiosus, accolisq; se præbens. Velut invitus Asphaltiten lacum, dirum natura, petit: à quo postremò ebibitur, aquasq; laudatas perdit, pestilentibus mistas.*

Cap. XXXIIX.

4. Solinus, *Judæa illustris est aquis: sed natura non eadem aquarum omnium. Jordanis amnis eximiæ suavitatis, Panaide fonte demissus, regiones præterfluit amœnissimas: mox in Asphaltiten lacum mersus, stagno corrumpitur.*

v. Histor.

5. Tacito *Libanus mons amnem Jordanem alit funditq;. Nec Jordanes pelago accipitur: sed unum atq; alterum lacum integer perfluit: tertio retinetur.* Illos nempe Samachoniten & Gennesareth intelligit, hunc Asphaltiten, quem & Mortuum mare vocant.

6. Ve-

6. Verùm optimè omnium de fluminis hujus ortu & decursu scripsit Josephus, cui homini Judæo, & his ipsis in locis multum versato, rectius ea de re constare potuit, eoq; tutius illi creditur. Cujus sententiam priusquam penitus exponimus, quid sit Panium, à quo regio tota dicta, & unde oriri putabatur Jordanes, pauca memoranda sunt.

7. Igitur Stephanus Geographus de eo ita: Ἔστι δὲ καὶ Πάνιον σπήλαιον Παλαιστίνης, ἀφ᾽ οὗ ἐκρεῖ ὁ ποταμὸς Ἰορδάνης. *Est verò & Panium spelunca Palæstinæ, unde emanat flumen Jordanes.*

Epit. de Urbib. Adde Egesip. 1. de Excid. Hierosol.

8. Josephus etiam clarius. Πάνιον σπήλαιον ἐν ὄρει περικαλλές ἐστιν, ὑπ᾽ αὐτῷ δέ γῆς ὀλίσθημα, καὶ βάθος ἀπέῤῥωγος, ἄφατον, ὕδατος ἀκινήτου πλέον. καθύπερθεν δ᾽ ὄρος παμμέγεθες, ὑπὸ δὲ τὸ σπήλαιον ἀνατέλλουσιν αἱ πηγαὶ τοῦ Ἰορδάνου ποταμοῦ. *Panium est spelunca in mõte amœnissima, eiq; subjecta in immensum hians terræ devexitas, plena aquis stagnantibus. Ei mons ingenti magnitudine impendet, Sub spelunca autem scatent fontes Jordanis fluminis.*

XV. Antiq. Jud. cap. 13. Et 1. bel. c. 16. quem locum omnino vide.

9. Ad hunc locum, naturâ peramœnum, Herodes Magnus, templum Augusto Cæsari, miræ pulchritudinis è candido marmore condidit, ut ante quoq; indicavimus.

10. Verùm illos fontes Jordanis à quibusdam falsò credi non dissimulat idem, suamque sententiam lectori alio loco aperit. Esse nimirum alium quendam aliquanto longius dissitum lacum, cui *Phialæ* nomen inditum à figura rotunda. Atq; hìc scaturientes aquas in Panium occulto & subterraneo meatu penetrare, Philippum ait tetrarcham deprehendisse satis ingeniosè. Paleas nempe in Phiala sparsas reddi animadvertit in Panio.

III. bell. cap. 18. quem locum apud ipsum lege.

11. Hic igitur *Jordanis fons*, qui fluvius non paucis

Jos. III. *Ps.* CXIV. clarus est miraculis rebusq; gestis. Nam (ut quorundam saltem eventuum mentionem breviter faciamus) hunc fluvium Deus, pleno fluentem alveo divisit, siccisque pedibus populum suum, duce Josua, sive Jesu, traduxit.

II. *Reg.* II. 12. Eundem pallio suo percussum divisit transiitque Elias cum Elisæo: quorum hic, ejusdem ministerio pallii, mox idem miraculum repetiit.

II. *Reg.* V. *Luc.* IV. 13. In eodem lavans septies, ejusdem Elisæi mandato, Syriæ regis dux, vir fortis, & cordatus Naeman, leprâ est liberatus.

Matth. III. 14. Sed nulla magis re illustris est, quam Christi servatoris nostri baptismo, & ministerio Joannis, cognomento baptistæ. Domino quidem nostro baptisato, Deus immortalis atque incomprehensæ majestatis, ita manifeste trinitatem personarum patefecit, ut ante eum quidem diem nunquam.

15. Sunt & alii in sacris literis eventus annotati, qui ad hunc fluvium pertinent, quos curiosè referre nihil attinet. Illa quæ diximus, instituto nostro sufficiunt.

16. Pergamus igitur, quod spacii trans Jordanem reliquum, celeriter decurrere. Ea regio flumine hoc, & montibus Arabiæ, Syriæque, Libano, ac Mari mortuo, cum torrente Arnon circumscribitur.

17. Nomina sortitur diversa. Nam & *Trachonitis* dicitur, & Regnum Basan, & Terra gigantum. Ea pertinet à Libano ad Hieromacen fluvium, aut torrentem Jaboc. Tenuit hunc terræ tractum altera pars Manasse, cui Moses ipse eum adsignavit.

18. In ea regione, præter oppida minus illustria, erãt, *Gessur*, urbs regia in hac parte, & quæ nomen toti ejus parti dedit, terra enim Gessuri appellata est. In hanc urbem fugit Absolom

ſolom, poſt cædem fratris Ammon: quum patris Davidis iram metueret. Nepos enim regis ejus è filia Maacha fuiſſe putatur. Triennium ibi delituit, donec veniam à patre & reditum in patriam, interventu Joabi impetraret.

II. Sam. XIII. & IV. *Joſeph. VII. Antiq. 5.*

19. Non longe diſtat ab urbe Syriæ celeberrima *Damaſco*, quæ antiquitate, opibus, pulchritudine urbibus Syriacis pleriſque antecellebat. David eam rex Iſraelis quondam cepit, & præſidiis firmavit, Syroſque vectigales fecit. Quod tamen illi jugum, Deo Salomoni, ob idolorum cultum infenſo, excuſſerunt.

II. Sam. XIII. I. Par. XIIX. Joſeph. VII. Antiq. 2.

20. Varia deinde ejus fata, & interdum triſtia fuere: ita ut ab Aſſyriorum rege capta, à Babylonio etiam penitus everſa fuerit. Quam ſuperbiæ atque inſolentiæ pœnam Deus per prophetas ſuos ante ei minitatus fuerat.

II. Reg. XVI. Joſeph. IX. Antiq. 13. Amos I. & III. Eſa. IIX. X. XVII. Jerem. XLIX. Zach. IX.

21. Inſtaurata tamen à Græcis poſtea eſt: & Pompeio res in Syria contra Orientales reges, bello Mithridatico gerente capta, in Romanorum poteſtatem venit.

22. Paulus Apoſtolus mirabili prorſus ratione, à Deo ipſo ad hanc urbem converſus, pro Eccleſia Chriſti acerrimè propugnare cœpit: quum hactenus eam omnibus viribus perſecutus fuiſſet, idq́; cum maxime tum ageret. Eam urbem duo alluebant flumina, Pharphar & Albana: niſi fortè etiam tertius Chryſorrhoas.

Act. VII. IX. & XXII.

23. Damaſcenæ regioni vicina erat *Auranitis* regio, ab Auran urbe nomen adepta: quam Auguſtus Herodi primum; dein Philippo ejus filio donavit: Claudius Imp. nepoti ejuſdem Agrippæ.

Joſeph. III. Antiq. 17.

24. Erat & *Seleucia* ad lacum Samachoniten, à conditore ita dicta, ab Alexandro rege Judææ addita: quam Joſephus bello Judaico contra Romanos munivit. Diverſa eſt à Seleucia Syriæ, & aliis ejuſdem nominis urbibus.

Joſeph. I. bel. itemq. II. & IV. & de vita ſua.

Josua. XII. & XIII.
1. *Reg.* XIII.
1. *Par.* XIX.
Joseph. VII.
Antiq. 6.

25. Ei porrò vicina erat *Maacha*, sive Machati, regio itidem ab urbe appellata. Cujus regem, qui stipendio conductus Ammonitis, hostibus Davidis auxiliares copias adducebat, ab eo victus & tributarius factus est.

Jos. XXI.

26. Ad montes Arabiæ, quibus *Hermonis* & *Sanir* inditum erat nomen, *Bosra* fuit, urbs munita: quæ ab Israelitis capta Levitis concessa est. Ejusdem nominis urbes fuere in Moabitide & Idumæa. Hæc Trachonitidis fuit metropolis.

Joseph. III. *bel.* 18.

27. Non longè ab hac urbe, in radicibus montium Arabicorum Sanir, sive Hermon, qui Syriam Cœlen à regno Basan disterminant, est *Phiala*, id est fons ille, sive scaturigo immensæ profunditatis, à rotunda sive orbiculari figura ita dicta, cujus aquæ æquabilem perpetuo altitudinem obtinent, teste Josepho. Neque enim decrescunt, neque exuberant.

Borchard. *Cap.* III. §. 5. *Salign.* & *Breidebach.*

28. Hic fons ille est, quem occulto & subterraneo meatu in Panium descendere, & in Dan emergere, atque ita Jordanem gignere, statuit Josephus: idque ita jam tum, & ex eo tempore sæpius deprehensum esse tradunt. Quam ob rem Sarracenos aquas hasce *Medan*, id est aquas Dan appellare accepimus. *Me* siquidem, auctore Borchardo, Arabicè aqua est.

Job. I.

29. Porrò vicina huic fonti est *Terra Hus, sive Uz*, in qua domicilium fortunarum suarum fixisse olim sanctum virum, & calamitatibus mirificè exercitum Jobum, argumento est, quæ hodieque etiam ibi superesse scribitur, *Pyramis B. Job*.

Joseph. I. *Antiq.* 14.
Hieron. in cap. X. *Gen.*

30. Terra sive regio hæc ab Hus, filio Aram, nepote Sem, Noe pronepote, nomen creditur accepisse, à quo & Damascum conditam volunt.

31. Ur-

31. Urbes quoque in hac ora Trachonitidis fuerunt, unde tres principes amici Hiob, consolandi gratia, ad ipsum convenere. Urbium enim singularum singuli putantur fuisse reguli. Eliphaz igitur *Theman*, habuit ad ortum Terræ Hus: Sophar *Naamath*, ad septentriones, Baldat *Suetam* ad occidentem Pyramidis, de qua diximus.

Job. lib. priorib. capitibus. Borcard. & alii recentiores.

Job. I.

32. Porrò ipse Hiob, exemplum propè inauditæ patientiæ & probitatis, longè potentissimus fuit in hac ad orientem regione. Is nepos Nachoris ex Melcha esse traditur, & in matrimonio creditur habuisse Dinam Jacobi patriarchæ, consanguinei sui filiam, à qua ipsa etiam contemptus fuit, ut sacræ literæ memorant. Numerosam ex ea sobolem XIV. filiorum, & sex filiarum suscepit. Alii perperam stirpem ejus ad Esau, id est, Edom referunt.

Hieronym. in Genes. XXII & XXXVI. Itemq; alibi. Philo Judæus.

33. Habitasse autem putatur in *Astaroth*, urbe antiquâ & potenti olim, viciná Theman, de qua jam diximus. Hic enim Carnaim, sive Raphaim, id est, gigantes habitarunt, quos Abrahami ævo armis domuit Chodorlaomor, rex Elamitarum, id est Persarum.

Gen. XIV. Hieron. de Loc. Hebr.

34. E sanguine Carnaim sive Gigantum illorum Mosis tempore supererat Og, rex Basan, vasti corporis, & ferocis animi homo, quem Israelitæ sustulerunt, occupatumque regnum dimidiæ tribui Manasse assignarunt. Levitis data est tum regia urbs Astaroth.

Deut. I. Jos. IX. XII. & XIII.

35. Vicinæ sunt huic urbi *Gaulonitis* & *Batanæa*, regiones sub montibus Seir: ita hi quoque Arabici montes dicuntur. Gaulonitidi nomen dedit *Gaulon*, urbs, quæ itidem, ut Astaroth, victo occisoque Ogo rege, Levitis cessit, & jure asyli donata est.

Hieron. de Loc. Hebr. Josu. XXI. I. Paral. VI.

36. *Batanæa* contigua ei est ad occasum, Trachonitidi ad ortum, Hanc Augustus cum vicinis Herodi donavit,

Joseph. XIII. XVII. & XIIX.

Antiquit. *Hieron. de Loc. Hebr.*

vit, isque porro vicinus jam fato suo, Philippo filio suo transmisit: Claudius Imp. Agrippæ regi dedit.

37. Vicina ei *Campestria Cedar*, quæ ab urbe in montibus sita nomen traxerunt. In hac regione, propter amœnitatem & ubertatem camporum, læta pascua erant, & mercatus nationum plurimarum anniversarius, quæ tentoria sua diversi coloris heîc figebant, ad quæ Salomon alicubi alludit.

Cantic. I. *Psal.* CXX.

38. Pater ejus in Psalmis non satis pacatam hanc urbem & oram facere videtur. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitatoribus Cedar. multum incola fuit anima mea. Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus. Quum loquebar illis, impugnabant me gratis.*

39. Urbs *Cedar* in monte Seir sive Sanir, viam publicam è Syria transmittebat rectà per Chorozaim & Capharnaum in Galilæam: ubi ad Bethsaidam in duas erat scissa quasi semitas, quarum altera ad mare mediterraneum: altera per Palæstinam ferebat in Ægyptum. Ab ea non longe aberat *Edrai*, sive Edrechi, urbs regia, sedes Ogi, quem Israelitæ acie victum interfecerunt cum filiis & copiis universis.

Num. XXI. *Deut.* I. & III *Jos.* XII. & XIII. *Plin.* V. *cap.* *Suet.* *Joseph.* XIII. *Antiq.* 21. & IV. *bel.* I. *Joseph.* I. *bel.* 4.

40. Obvia porrò est, in Austrum pergenti, *Gamala* urbs loci naturâ permunita. In monte enim sita erat, cameli figuram referente: cujus capiti Arx, gibbo reliqua urbs inhærebat. Expugnata tamen fuit, tum ab Alexandro Judæorum rege, tum à Vespasiano ingenti labore, nec sine gravi clade exercitus. Ab ea urbe regio circumjacens *Gamalitica* dicta fuit.

Deut. III. *Hieron. de Loc. Hebr.*

41. Ulterior erat *Galaad*, urbs in monte ejusdem nominis condita, à quo & appellationem traxit: Jephtes unus

unus Judicum hîc situs est. Hinc, sive ab illo, monte *Galaaditis*, sive *Galaadena* regio appellatur, cujus urbes XXIII. Amorrhæis ademit Galaad, filius Machir, nepos Manasse.

Judic XII. Num. XXXII. Jos. XIII. 1. Par, 2.

42. Ager pascendis pecoribus in primis idoneus, viris etiam fortibus abundabat. Qui tamen sceleribus suis offenso numine graviter ab hostibus suis multati sunt, ut Prophetarum etiam libris docemur. Montana Galaad (in quibus olim Jacobus Patriarcha cum Labane socero fœdus pepigerat) uti & regio ipsa, partim tribui Gad, partim dimidiæ tribui Manasse adsignata sunt.

Amos. I. & IV. Ose. VI. & Hieron. in illum. Gen. XXXI.

43. Ex adverso Galaadenæ ad occasum sunt urbes illæ, quas antè enarravimus in littore maris Galilææ, Julias, Gerasa sive Gergesa, & Gadara; itemque Hippos & Ephron.

44. Nec longe aberat Gadaris *Jabes Galaad:* cujus urbis incolas graviter olim multarunt Israelitæ reliqui, quòd in bellum contra Benjamin unà cum reliquis tribubus non exissent. Postea Saulus rex eosdem insigni virtute contra Naas, Ammonitarum regem defendit.

Judic. XXI. Hieron. de Loc. Hebr. Joseph. V. Antiq. 6. 1. Sam. XI.

45. Cujus beneficii memores, cœsorum à Philistinis in prælio Sauli & filiorum corpora, de muro Bethsan, id est, Scythopolis, noctu detracta sepelierunt. Quam pietatem valde probavit, & missis ad eos oratoribus prædicavit rex David.

Joseph. VI. Antiq. I. 1. Sam. XXXI. 1. Paral. X. Antiq. 14. II. Sam. II.

46. Ultra eam, ad radices montis Galaad erat *Pella*, urbs à Seleuco Syriæ condita, & de Macedonica urbe, Philippi atque Alexandri patriâ, ita appellata: Incolas etiam Macedonas plurimos habuit.

Hieron. de Loc. Hebr.

47. Sita erat in confinio Decapoleos & Perææ: & annumeratur undecim Judææ Toparchiis, Aliis interdum nominibus etiam insignitur, ut Butis & Berenices.

Joseph. XIII. *Antiq.* 21. & XIV. *bel.* 5. 6. 8. 1. *bel.* 4. & 11. *bel.* 19.

48. Alexander Judæorum rex hanc urbem excidit. Pompejus eandem restituit, & Judæis ademtam Syris contribuit. Judæi tamen eam graviter afflixerunt insequenti tempore.

Euseb. III. *Hist. Eccles.* 5.

49. Christiani porrò divinitus moniti ingruente obsidione Hierosolymorum, huc concesserunt ibique servati sunt. Ita hominibus sanctis submotis, reliqui cum urbe ac templo, quæ plurimis gravibusque sceleribus pridem sordebant, invisaq; Deo erant, pessundati fuere. *Hieromiace* fluvius prope Pellam è montibus ortus, eos quoque montes alluit, quibus Jabes Galaad, & Gadara imposita: tum mari mergitur Galilææ.

1. *Macc.* V. *Joseph.* XII. *Antiq.* 12.

50. *Carnaim*, vicinam Pellæ urbem, magnam & munitam, quum Judas Maccabæus cepisset, fano incenso, quotquot eo confugerant, cremavit. Atque hæ urbes erant in Manasses parte altera trans Jordanem, quæ olim *regnum Basan* habuerat, & terram Gigantum. Vicorum mentionem non facimus. Longius enim id foret, quàm pro instituto nostro.

Gen. XXXII. *Hieron. Quæst. in Gen.* 11.

51. Sequuntur nunc urbes & loca illustria *tribus Gad*. In qua non longo ab Ephron intervallo fuit *Manaim*, sive Mahanaim, ubi Jacobo è Mesopotamia redeunti, posteaquam ab socero in Monte Galaad digressus fuisset, occurrerunt angelorum agmina; unde & nomen loco indidit Castrorum.

II. *Sam.* II. & XVII.

52. In eo loco urbs sequenti ævo condita, idem obtinuit nomen: in ea regnum biennio possedit Isboseth, filius Sauli. Quo tempore David impia filii sui Absolomi arma fugiebat, hîc restitit. Sita urbs erat non modo trans fluvium Jordanem, sed & trans Jaboc torrentem, Hierosolymis in Galaaditicam pergentibus.

53. Tra-

53. Trajecto illo torrente venitur in eum locum, ubi cum Angelo Jacob totâ nocte luctatus est, & quod faciem Domini conspexisset, loco nomen imposuit *Phanuel* sive *Pnuel*, ubi postea turrim expugnavit Gedeon, urbem instauravit Jeroboam. *Gen.* XXXII. *Jud.* XIX.

54. Inter hunc locum & *Sochoth*, occurrit Jacobo stipatus cum manu armatorum Esau frater, cum eoque, valde sibi metuente, ingratiam redit, ultrò perhumaniter complexus reducem. Tabernacula sua ibidem defixit Jacob: indeq; loco nomen. Gedeon seniores hujus civitatis & principes, viros LXXVII. malè multavit, quòd commeatum sibi & copiis suis negassent, bella contra Israelis hostes gerenti. *Gen.* XXXIII. *Hieron. de Loc. Hebr.* *Judic.* IIX.

55. *Socoth* prope aberat à Jordane. longius aliquanto inde distabat è regione Phanuel & Mahanaim, *Saltus Ephraim & Campus*, in quo Absoloni copiæ cum exercitu Davidis infestis armis atque animis concurrerunt. Cæsa est ea pars, quæ nefaria arma induerat, ipseque cum primis Absolonus: etsi pater ei parci voluerat. II. *Sam.* XIIX *Hieron. ib.* *Joseph.* VII. *Antiq.* 10.

56. Ulterius in ortum pergenti obvia erat *Ramoth Galaad*, urbs sacerdotalis & refugii. Quam ereptam Israeli â regibus Syriæ, recuperare armis quum vellet, refragante Deo, Achab, rex impius ipse in prælio ita vulneratus est, ut interiret. Vix elapsus etiam est Josaphat, rex Juda pius, quum se improvidè impio homini, suumq; populum & arma, illius copiis junxisset. I. *Reg.* IV. & XXII. I. *Paral.* VI. I. *Par.* XIIX. & XXII. & II. *Reg.* IIX. & IX.

57. Ulterius in eadem parte, & in ipsis radicibus montium Galaad erant Maspha & Rabba. *Maspha* domicilium præbuit Jephtæ judici Israelitarum annis sex. Hic quum filiam ex voto inconsulto oblaturus esset holocaustum, illa permissu ejus in montibus Galaad virginitatem suam *Judic.* XI. *Joseph.* V. *Antiq. c.* 9.

cum æqualibus suis duos menses deploravit, quod & post eam quotannis instituto patrio virgines Israel memoriæ ejus tribuerunt.

II. Sam. XXII. 58. Quo tempore David Saulum regem fugit, huc concessit cum familia, quam regi Moabitarum commendavit. Trans montes enim Galaad, circa hanc regionem Moabitæ atque Ammonitæ sedes suas habuerunt: & Arabiæ felicis partem obtinuére, quæ & Saba dicta. Ma-*I. Macca.* 5. spha etiam Judas Maccabæus expugnavit, & cæsis habitatoribus urbem diripuit atque incendit.

Hieron. de loc. Hebr. & in Ezech. XXI. *&* XXV. *in Amos.* I. *&* II.

59. *Rabba* magna, potens & regia urbs erat Ammonitarum ad torrentem Jaboc, unde & *urbs aquarum* dicitur in sacris literis. Hanc Gigantes olim, homines sævi & immanes, tenuerunt: quos expulére Ammonitæ, id est posteri Loth.

Num. XXI. *Deut.* III. *&* XXIX. *II. Sam.* XI. XII.

60. Tenuit eam urbem postea Ogus, rex Basan: cujus lectus ferreus hîc demonstrabatur, cubitos IX. longus, quatuor latus. Postea Davidis dux Joab eam obsedit, quo tempore Urias, vir fortis, & fidus regi, improbè objectus ipsius jussu periculis, interiit hostium incursu. Expugnavit tandem urbem ipse David, eamque exscidit, cum aliis multis, & auro atque gemmis gravem coronam regis capiti suo imposuit.

Joseph. XX. *Antiq. cap.* I. *&* III. *bel.* 2. *Hieron. de Loc. Hebr.*

61. Ptolemæus Philadelphus eam etiam cum regione vicina sibi, multo pòst tempore subjecit. Itaq; de ejus nomine dicta est *Philadelphia*, quod nomen postremis temporibus potissimum retinuit.

II. Sam. IX. 62. Prope Jabes Galaad erat & *Lodabar*, unde accersitum Mephiboseth, filium Jonathæ, Sauli nepotem, ad convictum suum & mensam regiam adhibuit David, memoriæ amici sui Jonathanis id tribuens.

63. Erant

63. Erant & aliæ obſcuriores in hac regione urbes, quas nunc miſſas facimus. Clarior vero *Arnon*, ad rupes arduas & præruptas, unde flumen ejusdem nominis delapſum in mare mortuum ſatis longo tractu defluit.

64. Vicina ei *Terra Thob*, quo fugit à fratribus pulſus Jephte, ibiq; cum manu virorum non optimorum commoratus eſt, dum opem ejus implorarent contra Ammonitas, & principem ſuum legerent Galaaditæ.

65. Vicina item ei trans torrentem Arnon *Vinea* illa, in qua Angelus Domini Bileamo hariolo, è Meſopotamia in Moabitidem ab rege Balac accito, reſtitit, & aſina, quâ is vehebatur, injuriâ ab eo percuſſa, loquuta eſt, eumque increpuit, exemplo ad id tempus inaudito.

66. Ultra eum locum *Nabathæa* eſt, Arabiæ regio, & urbs *Nabatha*, à Nabajoth, filio Iſmaelis natu maximo ita dicta. Hanc regionem Nabathæi colebant, quæ latiſſimè patebat, ab Euphrate nempe ad Rubrum mare. Ea frugum inops, plena pecorum fuiſſe ſcribitur.

67. Ad Arnon porrò fl. erat *Jazer*, urbs olim Amorrhæorum, poſt Levitarum. Prope eam magnum flumen erumpere, & Jordani ſcribitur miſceri. id *mare Jazer* etiam ſacræ literæ, propter copiam, more ſuo appellant.

68. Ad eundem fluvium multo etiam illuſtrior urbs *Aroer*, quæ & Ar, & Arnon, vetuſtate & potentiâ multis antecellens, præcipua urbium Moabiticarum. Eripuit tamen eam Moabitis Seon, rex Amorrhæorum: huic verò ipſi Iſraelitæ. quin ipſum regem penitus ſuſtulerunt.

69. Jephtha quoque inde illuſtrem victoriam reportavit, cæſis Ammonitis. In Prophetarum libris celeberrima hæc urbs eſt: ſita ad ipſa confinia tribuum Gad &

Deut. II. III. & ſeq. *Jud.* XI. & ſeq. *Joſeph.* IV. *Antiq.* 4. *Hieron. de Loc. Hebr.* *Num.* XXII. *Gen.* XXV. *Hieronym. quæſt: in Gen. Eſa.* LX. *in eumque locum Hier. Joſep. multis locis.* *Num.* XXI. XXXII. *Joſ.* XIII. & XXI. I. *Par.* VI. IX. XXII. *Eſa.* XVI. *Num.* XXI. & ſeq. *Jer.* XLIIX. *Deut.* II. III. IV. *Joſua.* XII. & XIII. *Hieron. de Loc. Hebr.* *Jud.* XI.

& Ruben: quæ duæ, cum dimidiata Manasse, possessiones à Deo acceperunt trans Jordanem.

70. Quem fluvium proximè attingit in ripa orientali *Peræa* regio, ita dicta: quòd trans Jordanem sita foret. De ea & vicinis potissimis Palæstinæ regionibus breviter pariter & accurratè Plinius: *Supra Idumæam & Samariam Judæa longè lateq; funditur. Pars ejus Syriæ juncta Galilæa vocatur: Arabiæ verò & Ægypto proxima, Peræa, asperis dispersa montibus, & à cæteris Judæis Jordane amne discreta*

Lib. v. *cap.* 14.

71. De natura ejus & magnitudine operæ precium est Josephum audire. *Peræa multo quidem major Galilæa, deserta tamen est & aspera magnam partem, & nutriendis fructibus mansuetis inhabilis.*

Lib. III. *de bel. Judaic. cap.* II.

72. *Quæ ejus pars mollior, & fertilior, tum campos habet variis arboribus consitos, tum maximè olivetis, ac vineis & palmetis exculta. Irrigatur autem abunde montanis torrentibus, & fontibus aqua perennis, quoties illi Sirio æstuante defecerint.*

73. *Et longitudo quidem ejus est à Macharunte in Pellam: latitudo verò à Philadelphia usq; ad Jordanem. Et Pella quidem, quam supra diximus, septentrionalis ejus est tractus: occiduus verò Jordanis: meridianum autem Moabitis regio terminat: ab oriente autem Arabia & Silbonitide, nec non Philadelphiâ, itemq; Gerasis clauditur.*

74. Josepho ipsi, πρὸς ἀνατολὴν ἀραβίᾳ τε καὶ σιμωνίτιδι· πρὸς δὲ φιλαδελφηνῇ καὶ γεράσοις ἀποτέμνεται Hæc igitur Peræa fuit, sive transamnana Palæstinæ regio.

75. In ea, præter alia oppida, fuit & *Thesbe*, Eliæ Prophetæ patria, qui Thesbites inde dicitur: & in extremo hujus tribus limite *Dibon*, quam Israelitæ Seoni Amorhæorum regi-

1. *Reg* XVII. *Joseph.* VII. *Antiq.* 13. *Num.* XXI & XXXII. *Jos.* XIII.

regi eripuere. uti& *Esebonem* in tribu vicinam huic, & primariam urbem, adeoque sedem ipsius regis. Moabitæ hîc ad torrentem Arnon habitabant.

76. Prophetæ his urbibus olim maximas calamitates prædixerunt. Esebon piscinas duas, in latere montis, cui urbs inædificata erat, peramœnas & pulcras ostentabat: quibus Salomon oculos sponsæ Christi confert.

Ies. XV. XVI. *Ier.* XLIIX. *& seq. in eaque Hieron. Cantic.* VII.

77. Reliquas urbes, & insignia loca tribus Ruben antè enumeravimus. Atque ita totam quoque Peræam, sive Transamnanam Palæstinæ regionem, (cui finitima in meridiem Arabia triplex, Petræa, Deserta & Felix, de quibus agere nostri non est instituti) non minus, quam reliquas partes, breviter decurrimus, Judæam, inquam, Samariam, & Galilæam, cum vicinis terris; Ægypto, Palæstina, Phœnice, & Syriæ parte.

78. Neque jam, quid reliquum magnopere, nunc quidem, nobis videri debeat, intelligimus, nisi ut mente devota Hierosolymam regressi (ex qua urbe, regiones has, etsi absentes, animo atque oculis obituri, in vicinas paullatim processimus) Deo istius quondam terræ atque urbis vindici, & custodi perpetuo, gratias agamus, quantas possumus, qui nobis hanc gratiam, miseris hisce & calamitosis temporibus, præstiterit, ut ex tanto temporum locorumque intervallo, urbes tamen & loca pleraque illustriora oculis subjicere, atq; intellectu comprehendere, & res maximas in ea terra olim gestas, multaque divina oracula in memoriam nobis aliisque commodè redigere potuerimus.

79. Quod quidem & nunc agimus toto mentis affectu, & deinceps acturi sæpe sumus. Hortamur verò eos, qui hæc nunc à nobis audierunt, aut deinceps lecturi sunt,

ut

ut & ipsi non nisi devoto ac religioso animo hoc argumentũ adeant, semperque cogitent, quanta in hanc olim terram beneficia contulerit, quàm magna & miranda potenti sua dextera hic gesserit Deus: idque summorum & divinorum hominum operâ. Certe enim vix pedem alicubi posueris, quin statim admirandæ alicujus rei gestæ occurrat memoria, non sine veneratione in animum admittenda.

80. Ipsa cum primis regia, & sancta urbs Hierosolyma. In quâ unâ tot loca memoriâ perpetuò servanda, & sæpe animo volvenda occurrunt, ut diutissime sola retinere studiosum sui possit. Verùm quum priscæ illius urbis magnificentia tot jam seculis antè exstincta sit, & vix rudera paucula ejus fortè exstent, illam quidem missam faciamus; Deum verò rogemus, ut in eam nos transscribat civitatem, quam de cœlo descendentem videbat sanctus Apostolus, ornatam ita, ut nova nupta marito suo ornari solet. Cum qua etiam vetus illa urbs, quantumvis pulchra & magnifica, nullam in partem conferenda erat.

Apoc. XXI.

Hebr. XIII.

81. Et quid terrenis rebus animum addicamus, incertis, fluxis, citò perituris? Non enim habemus hic manentem civitatem: sed exspectamus illam beatam, Christi servatoris nostri meritis nobis partam. Prorsus, quod divinus Apostolus scripsit, πολίτευμα *nostrum in cœlis est, unde etiam Servatorem exspectamus, Dominum Jesum Christum: qui transformabit corpus nostrum humile, ut conforme fiat corpori suo glorioso, pro efficacitate, qua potest etiam subjicere sibi omnia.*

Philip. III.

82. Hanc igitur, ut veram patriam nostram, spectemus assiduè, & thesaurum in cœlis nobis reconditum quæramus. Statuamus prorsus non conferendum, quidquid orbis terrarum habet, cum iis, quæ in cœlo nobis parata.

83. Sa-

83, Sanè, quos Palæstinæ suæ præscripsit versiculos Chr. Adrichomius, verissimos putare debemus,

Melle fluit terra hæc promissa, & lacte redundat.
Ast ea quæ sursum est, nectare & ambrosiâ.

84. Ad eam ex hoc tam calamitoso seculo cupidè aspiremus, quotquot æterna & cœlestia seriò amamus. Quod ut possimus, tu nobis præsta, clementissime pater. Cui, cum filio, & spiritu sancto, laus honor, & gloria in sempiterna secula, Amen.

Παραλειπόμενον

Ad cap. III. ¶. 10 & sequent.

DE ESSENORUM SEDIBUS ET MORIBUS.

QVod accidere festinanti sæpe solet, in locis, quæ ad occidentale Maris mortui littus illustres fuere, *sedes Essenorum* præteriimus imprudentes, nec visum deinde fuit, loco non suo, de iis aliquid intempestivè, eoque odiosè, inculcare. Quia tamen res illa cognitione haud indigna, in hunc locum, quæ de ejus sectæ institutis occurrebant, conferre placuit.

2. Igitur Essæi, sive Esseni, puod nemo ignorat, sectam Judæorum tertiam, aut, ut quidam maluerunt, septimam tenebant: & sedes suas ad Asphaltiten lacum, prope Engaddi & Massadam. Magnus eorum numerus fuit, & instituta mira, de quibus operæ precium est adire scriptores veteres.

Vide Sigon. de repub. Hebr. lib. 1. c. 11.

V. Nat. hist. 16. cap. 17.

3. Plinius, quum ad Orientem Asphaltitis Arabiam Nomadum, ad meridiem statuisset arcem Macheruntem & Callirrhoen, fontem calidum, medicæ salubritatis, addit: *Ab occidente littora Esseni fugitant, usq; qua nocent. Gens sola & in toto orbe, præter cæteras, mira sine ulla fœmina, omni venere abdicata: sine pecunia, socia palmarum. In diem ex æquo convenarum turba renascitur, largè frequentantibus, quos vita fessos ad mores eorum fortunæ fluctus agit. Ita per seculorum millia (incredibile dictu) gens æterna est, in qua nemo nascitur. Tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia est.*

Cap. XXXIIX.

4. Solinus uberius de tota hac re & regione. *Longo ab Hierosolymis recessu, tristis sinus panditur: quem de cœlo tactum testatur humus nigra, & in cinerem soluta. Duo ibi oppida. Sodomum nominatum alterum: alterum Gomorrhum, apud quæ pomum gignitur, quod habeat speciem licet maturitatis, mandi tamen non potest. Nam fuliginem intrinsecus favillaceam ambitio tantum extimæ cutis cohibet: quæ vel levi tactu pressa fumum exhalat, & fatiscit in vagum pulverem.*

5. *Interiora Judææ, quæ Occidentem contuentur, Esseni tenent, qui præditi memorabili disciplina recesserunt à ritu gentium universarum, majestatis (ut reor) providentiâ ad hunc modum destinati. Nulla ibi fœmina. Venere se penitus abdicarunt. Pecuniam nesciunt. Palmis victitant. nemo ibi nascitur: nec tamen deficit hominum multitudo. Locus ipse addictus pudicitiæ est. ad quem plurimi licet undiq; gentium properent, nullus admittitur, nisi quem castitatis fides, & innocentiæ meritum prosequatur. Nam qui reus est vel levis culpæ, quamvis summa ope adipisci ingressum velit, divinitus summovetur. Ita per immensum spatium seculorum (incredibile dictu) æterna gens est, cessantibus puerperis.*

5. Pulchra quidem ista, & cognitione sanè digna. At multo

multo præstantiora etiam, quæ de iisdem referunt Josephus lib. XIIX. Antiquit. cap. 2. & 11. de bell. Jud. cap. 7. & Philo eo libro, quo disputat, omnes sapientes esse liberos: unde quædam citat Carolus Sigonius V. de rep. Hebr. cap. 11.

6. Operæ pretium sane fuerit ipsos illos adire scriptores. Ita enim multa sunt, quæ de hac tertia quasi philosophorum secta apud Judæos referunt, ut in has angustias chartarum cogi omnia nequeant: ita verò illustria & cùm ad cognoscendum, tùm verò ad imitandum pleraq; apposita, ut ignorare honestissima, & prope dixerim sanctissima instituta nefas sit.

7. Ut gustum aliquem eorum præbeam, & ad ipsos disertissimos scriptores legendos virtutum studiosos invitem, summa quædam capita, ex iis decerpta, breviter indicabo. Memorat Josephus, Esseaos non unam civitatem habitasse, sed per plures fuisse dispersos. Voluptates studiosè fugisse. continentiæ in primis deditos: inter se amasse impensè, eoq; liberaliter communicasse indigentibus vitæ subsidia: præsertim hospitibus suam hanc sectam amplexis: qui propterea liberrimè iter ad eos susceperint, fermè inermes.

8. Eosdem ait divitiarum contemtores, opus tamen sedulo fecisse, maxima diei parte. Pueros quidem tenellos & ingenuos, aliorum filiolos, (ipsi enim matrimonio se non illigabant) educasse summo studio, & ad illum vivendi ordinem adsuefecisse, quem ipsi sequebantur.

9. Quumq; frugales essent in victu & veste, unctiones item & oleum prorsus aversarentur, mundiciem tamen corporum & vestitus, summa ope amplexos. Lotioni-

bus enim frequentibus usos, & veste candida. Atq; in hunc usum certi erant curatores delecti, quorum auctoritate in plerisq; etiam negotiis utebantur.

10. In primis vero magna religione Deum esse veneratos, idq; & ante solis ortum, & sub initium ac finem prandii ac cœnæ. In quibus quam modestè, vel potius sanctè sint versati, operæ pretium est ex ipso Josepho discere.

11. Illud quoq; pulchrum, quod, etsi auctoritate curatorum sive præfectorum suorum omnibus ferme in rebus continerentur, tamen & misereri, & bene mereri etiam sine eorum interventu ipsis licebat.

12. Hoc item, quod iracundiæ justos dispensatores fuisse ait, indignationem cohibuisse, fidem coluisse, paci unice consuluisse, & quidquid dixerint, jurejurando sanctius habuisse: ipsum juramentum, quasi deterius perjurio, vitasse. Jam enim mendacii convictum condemnatumq; arbitrabantur, cui sine Deo non crederetur.

13. Postremò, ut non persequar omnia nunc (quod facere statui alio tempore, si Deus volet, aliquanto diligentius) illud unum addam, veterum scripta eos studiosissimè lectitasse: ex iisq; excerpsisse, quæ corpori atq; animo expedirent. Atq; hæc nunc quidem sufficiant de Essenis, quorum disciplinâ usum Joannem Baptistam, Christi servatoris nostri præcursorem, & testem divinitatis, ab iisq; morum sanctitatem illam, &, ut multis videbatur, tristitiam hausisse, inter plerosq; eruditorum video constare.

Lecto-

Lectori pio S.

Ne sequentes pagellas inanes tibi, Lector humaniss. daremus, visum fuit in eas Borchardi, religiosi hominis, qui decennio ipse Palæstinam undiq; singulari studio lustravit, delineationem hujus & vicinarum regionum conjicere. Ita enim de tota hac terrarum parte rectius existimabis, si hæc paucula probè imbiberis. Stili duritiem ævo scriptoris æquus lector imputabit.

PARTITIO REGIONUM, TERRÆ SANCTÆ ADJACENTIUM.

P*Rincipio sciendum, terram, quam dicimus sanctam, eam esse, quæ duodecim tribubus partita est ab invictissimo duce Josua, teste libro Josuæ à cap.* XV. *usq; ad* XX. *Hujus terra pars una* regnum Juda *nuncupabatur, continens sortem duarum tribuum, Judæ & Benjamin. Pars altera* Samariæ regnum, *quæ decem tribuum caput, & regni sedes existebat, nunc dicta Sebaste, regnumq; Samariæ in scripturis* regnum Israel *nominatur. Inde* reges Judæ, regesq; Israel *processere, post sapientissimi Salomonis moderamina, teste lib.* III. *Regum cap.* XII. *Utrumq; autem regnum illud, cum Philistæorum toto dominio, est ea, quam & sacra scripturæ, & mundi Cosmographi* Palæstinam *vocant: quæ extat pars magnæ Syriæ; sicut Lombardia & Tuscia ipsius Italiæ. Quod ut evidentius pateat; scito plures reperiri Syrias, variè quidem nominatas. Tota siquidem plaga, à Tigri flumine usq; ad Ægyptum, communi nomine* Syria *nuncupatur. Portio ejus prima* Mesopotamia *dicitur, inter Euphratem & Tigrin sita. Protenditur in longum ab Aquilone in Austrum à monte Tauro ad mare rubrum: in se continens has nationes, Parthos, Medos: quibus ab Aquilone copulatur Chaldæa: in qua est illa celebratissima Babylon, locus captivitatis tribus Juda sub arrogantissimo Nabuchdonosor. Ab austro adjacet* Arabia *usq; ad mare rubrum,*

 quod

quod illis in locis Sinus Arabicus *vocatur. In eadem, ut Aquilonem respicit, situat Edessa, civitas antiquitus dicta Rages Medorum hospitium Tobiæ majoris, ducti in captivitatem. Afferunt quidam rationem, qua congruè existimant hanc partem Syriæ Mesopotamiam appellari, eò scilicet, quia est medians inter aquas, quæ sunt Tigris & Euphrates.*

Secunda Syriæ magnæ pars Cœlesyria *nominatur, cujus initium est à flumine magno Euphrate, ad rivum Vallaniæ, cujus decursus est sub castro Maragd. ingreditur autem mare magnum, id est mediterraneum juxta Vallaniæ villam, leucâ unâ distantem à prædicto castro. Cœlesyria complectitur Antiochiam cum suffraganeis urbibus suis, & Laodiceam & Apameam, aliasq; plures.*

Tertia pars est Syria Phœnices, *cujus principium sumitur à rivo Vallaniæ ex Aquilone: protenditurq; contra Austrum usq; ad Petram incisam sub monte Carmelo: qui locus tempore nostro Peregrinorum castrum dicitur, estq; sub ditione militiæ templi. Syria Phœnices comprehendit Maragd. Antaradum, Tripolin, Berytum, Sidonem, Tyrum, Achon & Capharnaum.*

Quarta pars, Syria Damasci *appellatur: eò quòd Damascum, ut dominii sedem continet. Ab aliis* Syria Libanica *dicitur, eò, quod Libanus, mons deliciosus & egregius, in ea situatur.*

Quinta pars magnæ Syriæ est Palæstina *dicta, quam describere intentionis nostræ est. Hanc tamen subdividere prius, inutile non erit. Igitur Palæstina in* tres portiones *partitur.* Prima *est, cujus metropolis est sancta Hierosolyma: continens omnes colles & montes ejusdem. cujus extensio est usq; ad mare mortuum, desertumq; Cabesbarne.* Secunda *est, cujus metropolis est Cæsarea maritima. hæc amplexatur totam Philistæorum regionem, originem capiens à Petra incisa, quæ & castrum*

ſtrum peregrinorum dicitur, usq; Gazam, Philiſtiim urbem, tendens contra meridiem. Tertia *eſt, cujus metropolis exiſtit Bethſan, ſuper Gelboë monte conſtructa, juxta Jordanem fluvium. Hæc antiquitus Scythopolis dicta fuit. Hæc proprie Galilæa, ſive Campus magnus Esdrelon, qui & Maragdo, nuncupatur.*

Arabia ſimiliter *in tres partitur.* Partis primæ *metropolis eſt* Boſra, *quæ nunc Buſereth, olim Perſa. Eidem copulatur ab occaſu Trachonitis regio, & Ithuræa.* Damaſcus *autem ferè à Septentrione. qua de cauſa Syria Damaſci nonnunquam Arabia nominatur. propter quod Aretas, rex Arabiæ dictus eſt, quum tamen rex eſſet Damaſci.* Secundæ partis *metropolis eſt* Petra *urbs, olim Nabath dicta, ſuper Arnon torrentem ſita. Pars hæc continebat filiorum Ammon dominium: etſi Ar civitas ex Moab dominio exiſteret. Item complectebatur regnum Seon, Eſebon, regnum Baſan ac Galaad montem: copulaturq; primæ parti Arabiæ ab Auſtro.* Tertiæ partis *metropolis eſt* Mons regalis, *qui nunc Carach, antiquitus Petra deſerti dicta fuit, ſupra mare mortuum conſtructa. Pars hæc continet terram Moab quam & Syriam Sobal ſcriptura appellat. continet & totam Idumæam, ſive Seir montem, omnemq; regionem circa mare mortuum, usque Cadesbarne, & aquas contradictionis, verſus rubrum mare, per altiſſimas & ferales ſolitudines, uſque ad magnum Euphratem. Hæc eſt Arabiæ magna pars, in qua* Mecha *eſt civitas, deteſtabilisq; Mahumeth ſepulchrum. Hactenus de ſitu regionum, Terræ ſanctæ adjacentium, dixerim ſatis.*

Hæc Borchardus (quem Brocardum alii plerique nuncupant) monachus è Germania, atque adeo Saxonia Weſtphalorum, ut docuit nos vir optimus & doctiſſimus Reinerus Reineccius, verè πολυίσωρ, immortale decus Academiæ hujus Juliæ.

HEN-

HENRICI ERNSTII

Annotationes, sive Addenda ad Palæstinam Heidmannianam.

Ad CAP. I.

§. 8. A*ltero vero ab hinc seculo,* Nempe anno Christi cIↃ CCCC XCII.

§. 11. *Ad Palæstinam.* In eo maximè errarunt Judæi; quod putaverint, se nactâ Palæstinâ, ad felicitatis suæ verticem pervenisse: animos non attendentes ad illa bona, quæ multis partibus istis potiora, quæq; piis omnibus in cœlis parta, quam quæ in terris unquam fuere; quæ hodie sunt, aut deinceps futura. De quo nedubitare quidem quemquam Christianum fas est. Neq; igitur absurdè Palæstinæ suæ præscripsit Adrichomius:

Melle fluit terra hac promissa, & lacte redundat,
Altera quæ sursum est, nectare & ambrosia.

Ad eam propterea adspiremus cupide, quotquot sapimus. Ut possimus, Tu nobis dona, bone JESU.

§. 12. *Cincta undiq;.* Taciti verba V. Hist. eximia sunt & clara: *Terra finesq;, qua ad orientem vergunt, Arabia terminantur: à meridie, Ægyptus objacet: ob occasu, Phœnices & mare: Septentrionem à latere Syriæ longe prospectant.*

§. 17. *In Syriæ partibus.* Syria, quæ Hebraice *Aran* dicitur, regio inter fluvium Euphraten, & mare magnum, usq; ad Ægyptum pertingens, habet maximas provincias,

nempe;

nempe; Comagenam, Phœniciam & Palæstinam, absq; Saracenis & Nabathæis, quorum gentes sunt duodecim. Hieronym. de loc. Hebraicis. Nam, late patet Syriæ nomen, adeo, ut ipsam etiam Babyloniam & Mesopotamiam complectatur, ut scribit Plin. *Lib. V. Cap.* XII. *Beza major annot. ad Cap.* VII. *Marci.*

§. 18. lin. pen. *Usq; juxta mare mediterraneum.* Terminos Palæstinæ sæpe memorant sacræ literæ: ut Josu. XIII. Et Exod. XXIII. 31 .*Ponam terminos tuos à mari rubro ad mare Palæstinorum, & à deserto usq; ad fluvium &c.*

§. 20. *Deus pridem Judaeorum genti pollicitus fuerat.* Etiam brevi post mortem Mosis terram istam Josuæ heroi fortissimo populoq; Hebræo promittit, Jos. 1, 2.

§. 38. *Nugæ hæ.* Aeque vera sunt, quæ Tacitus habet Lib. V. Histor. De quibus vide *Observ. mearum Juvenilium Lib.* III. quod scriptum typographum expectat.

§. 44. lin. 3. à fin. *Tamen Judæ regnum integrum.* Judæa aliquando tota terra duodecim tribuum appellatur: aliquando duæ tantum tribus, quæ quondam Juda vocabantur, ad distinctionem Galilææ & Samariæ, aliarumq; in terra repromissionis regionum. Et notandum apud Historicos, quod Judæa ad Palæstinam; Galilæa vero & Samaria ad Phœnicen pertineant. Hieron. *de loc. Hebraicis.*

Ad Cap. II.

§. 6. *Unum de multis locum.* Eximius in hoc genere est psalmus XLVIII. Cui adde Psalmum LX, 8. & Psal. XLIV. LXIV. LXXIIX. & LXXX. Ubi non solum de Palæstinæ urbibus & regionibus agitur; sed Beneficia DEI opt max. in gentem Judaicam, ejusq; ingratum in Benefactorem animum, pœnas delictorum graves, earumq; mitigationes commemorantur,

§. 14. *Quum id opus pater ejus David.* Quam cupidus fuerit David operis hujus exstruendi absolvendiq; Psalmus CXXXII. testis est.

§. 29. *Alienigenis etiam ingredi fas erat.* Profanæ gentes non modo in atrio templi adorabant; sed etiam victimas immolabant. Exempla non semel apud Josephum Scalig. Notis ad IIX. Cap Act. XXVII.

§. 31. *In hoc atrio.* Videtur hoc quoq; in atrio, aut ejus aliqua porticu sedens audisse docentes, eisq; respondisse, cum insciis parentibus duodecim annorum puer Hierosolymis remansit, & tertio die in templo repertus est. Luc. II, 64.

§. 36. *In hac arcula.* Vide Caroli Sigonii Lib. II. De rep. Hebræor. Cap. III.

§. 59. *Pii quidem & religiosi homines.* Ad quorum numerum Ecclesia in Babylone captiva est, quæ Psalm. CXXXVII, 5. & seq. ita canit:

O Solymæ, o adyta, & sacri penetralia templi,
Ullane vos animo deleat hora meo?
Comprecor, ante mea capiant me oblivia dextræ,
Nec memor argutæ sit mea dextra lyræ:
Os mihi destituat vox, arescente palato,
Hæreat ad fauces aspera lingua meas:
Prima mihi vestræ nisi sint præconia laudis:
Hinc nisi lætitiæ surgat origo meæ.

§. 65. *Romani milites.* Milites hos vocat Pilatus apud Matth. XXVII. 65. Custodiam quibus præerat στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ. vide Scalig. Not. ad Matthæi dict. loc.

§. 69. *Sepulchrum Davidis.* Sepulchrum hoc aperuit, magnasq; ex eo opes protulit Hyrcanus, tria millia talentorum. Joseph. Antiq. XIII. Cap. XVI. Herodes aliquanto

to post idem ingressus est, non magno suo bono, de quo vide eundem Joseph. Lib. XVI. Cap. II.

§. 94. *Mons Calvariæ.* In hoc monte quidam conditum putabant Adamum, magnum primumq; generis humani parentẽ, ut Hieronym. scribit Lib. de loc. Hebraic. verb. Arboch. atq; ita legitur Cap. XIV. Comm. ult. Josuæ. edit. vulg.

Ibid. *In crucem sublatus.* Foramen illud, in quo crux defixa fuit, & rima, quæ totus ille mons ad imum, Christo in cruce pendente dissiliisse perhibetur, digna sunt, quæ sedulo ex itinerariis peregrinantium cognoscantur.

§. 95. *Sepulchrum habebat novum.* Templa postea hoc in loco, & in Calvariæ monte structa sunt splendida, quæ postmodum eversa à gentibus fuerunt. Hodiernum multi quale sit exposuerunt.

§. 121. *In hoc monte.* In monte Oliveti ad Orientem Hierosolymæ, torrente Cedron interfluente, ultima vestigia Domini humo impressa, hodieq; monstrari, scribit Hieronym. *de loc. Heb.* ubi vide plura apprime huc pertinentia.

§. 123. *Gehennon.* De valle, Gehinnon dicta, videndus Becmannus Orig. in voce *Gehenna.*

§. 124. *In quo agerille.* Nempe *Akeldama, Actor. I. 19.* Unde nomẽ hujus agri à vulg. interprete ad Matth. XXVII. 8. relatum est. Agrum hunc eo esse ingenio scribitur, ut corpora defunctorum in eum per foramina desuper demissa intra XXIV. horas consumantur, Hieron. Scheit Erford. *Itinerario suo.* Peregrinorum autem corpora tantum admitti, ait Adrichomius, eamq; naturam retinere etiam in alia loca devectam. Helenam ejus rei periculum fecisse, navibus CCLXX. asportata inde terrâ Romam in Vaticanum montem. Ejusdem naturæ Parisiis visitur Cœmeterium.

§. 140. *Dictaq; Hierosolyma est.* Vide de Hierosolyma Timocharem Mensorem Syriæ, Philonem, Aristæum, apud Euseb. IX. *præparat. Evangel. Cap XXXV. cum seq.*

§. 143. *Excusserunt eos.* Vide Justi Lipsii. *1. Monitor. Politic. Cap. II. Monit. 2.*

§. 151. *Hanc tam diram.* Lege ad hunc locum ejusdem Lipsii *Monit. 1. & exemplor. politic. Cap. III. Exemplo ultimo pag. 35.*

§. 152. *Quam tamen rem in salutem nostram.* Caipham audi, in senatu Judaicorum patrum, spiritu prophetico vaticinantem de salute hominum per Christum afferenda: etsi is animo non bono ea fatur. Similia exempla occurrunt etiam apud profanos homines, de quibus suo loco à nobis dictum.

§. 156. *Si domus ipsorum deserta.* Deus enim populo suo ejusq; finibus, & urbi sanctæ Hierosolymorum promittit fausta ac felicia omnia observantibus legem suam: contra vero excidiũ minatur & adversa omnia immorigeris.

Ad Cap III.

§. 7. *Ad eam viam ficus.* De hac arbore fabellam Isidori Pelusiotæ, à Baronio allatam rejicit Casaubonus *Exercit. XVI. 5.*

§. 8. Desertum erat hoc loco, in quod, post interitum Judæ Maccabæi fratris sui, fugit Jonathan cum suis, persequente eos Bacchide. I. Maccab. IX.

§. 9. Ipsi Domino Heidmanno hæc, quæ de Saulo adducuntur, videbantur non recte huc conferri: putabatq;, ad tribum Benjamin potius referenda, infra.

§. 19. *Engaddi.* David etiam heic latitavit, cum Saulus eum persequeretur, 1. *Sam. XXIV.* Esseni sedes heic quoq; suas

ſuas habuere, ut ad Dn. Auctoris §. 43. monebitur infr. Plinius Lib. V. Cap. XVII. Infra hos (*Eſſenos*) Engadda oppidum fuit ſecundum ab Hieroſolymis fertilitate, palmetorumq; nemoribus. nunc alterum buſtum.

Ibid. lin. 10. *De quo balſami horto.* Vide Borchard. Cap. VII. §. 39. Et Saligniacum Tom. IX. Cap. VI.

§. 31. *Aqua ea ratio.* Juſtinus his contradicere videtur, Lib. XXXVI. Cap. III. cujus verba memoria digna: *In ea regione lacus eſt, qui propter magnitudinem & aquæ immobilitatem, mortuum mare dicitur. Nam, neq; ventis movetur, reſiſtente turbinibus bitumine, quo aqua omnis ſtagnatur; neq; navigationis patiens eſt, quoniam omnia vita carentia in profundum merguntur: nec materiam ullam ſuſtinet, niſi quæ alumine illinatur.* Eadem fere apud Tacitum: *neq; vento*, inquit, *impellitur, neq; piſces, aut ſuetas aquis volucres patitur.* Adde Solini locum pulcerrimum è capite XXXVIII, & ibid Salmaſ.

§. 33. *Adeas, inquit.* Adde Solini polyhiſt. *Cap. IV*, & ibid. Salmaſ.

§. 35. *Deniq; adhuc in ea.* Strabonem heic omnino adi, ejusq; locum è Lib. XVI. p. 526. huc refer.

§. 39. *Haud procul.* Solini verba illuſtria ſunt; quare huc quoq; referenda *Cap. XXXIIX.*

§. 42. *Et circiter altitudinem.* Videtur id eſſe, ad quod Strabo alludit d. Libr. *XVI. pag. 526.*

§. 43. *Lacus* Aſphaltites. Eſſeni ſedes in occidentali Aſphaltitis lacus habuere, de quibus, eorumq; moribus mira narrant ſcriptores. Plin. *Lib. V. Nat. hiſt. Cap. XVII.* ſup. ad §. 10. citat. & Solin. Cap. XXXIX. Quæ omnino huc referenda.

§. 46. *Maſſada.* Caſtellum hoc Solino Judææ terminus

est *Cap. XXXIIX.* Plin. *Lib. V. Hist. nat. Cap. XVII.* Massada castellum in rupe, & ipsum haud procul Asphaltite. Diligenter id expressit, & arduum in id ascensum esse scribit Ziegler. *Palæst. p. 23.* Fugit eo Herodes à Parthis sibi & suis metuens. Joseph. *XIV. Antiq. Cap. XXV.*

§. 47. *Herodium.* Norat Castellum hoc & Plinius, cum oppido illustri ejusdem nominis.

§. 62. Sub fin. Adde Casaub. Exercit. 11 adv. Baron. 1.

§. 71. *Hoc ipsum oppidum.* Etiam olim tenue oppidum fuisse, præsertim, quo tempore Christus in eo natus, ex *Johan. VII. 42.* ubi vicus scribitur fuisse: ex Hieronymo item, qui villam, aut villulam, itemque vix parvum viculum: ex Theodoreto deniq;, qui χωρίον ἄδοξον καὶ σμικρὸν appellavit, demonstrat Casaub. *Exercit. II. 1.*

§. 74. *Et Mille circiter passibus procul turris Ader.* De hac turri res dubia esse videtur Casaubono Exercit. II. 7.

§. 76. *Bethsura.* Antiochus Eupator, filius τοῦ ἐπιφανοῦς, obsessum ingenti multitudine castellum hoc, fame præsidiarios ad deditionem compulit 1. *Maccab. VI.* Vide Joseph. *XII. Cap. II.*

§. 80. *Emmaus.* Josephus *lib. IV. Belli Jud.* etiam mentionem facit hujus oppidi, & dicit, ibi aquas calidas salubres fuisse, & hanc esse nominis Hebraici significationem. Ptolemæus ejusdem quoq; meminit.

§. 83. *Vicum hunc exussit.* Jam ante oppidum cum civibus sub hasta vendi jusserat Cassius, quod pecuniam imperatam non expedirent. Eadem calamitas oppressit Liddam, Gophna, & Thamnam. Joseph. *Antiq. XIV. Cap. XIIX. & 11. Bell. Cap. 11.*

§ 85. *Et alio loco statuunt.* Nunc enim diruta est Emaus, parvo exstante ædificio, *Salign. VI. 4.*

§. 92.

§ 92. *Dicta fuit & Cariath Arbe.* Urbem hanc eam esse, quam Juda urbem vocat *Lucas. 1,39.* & in montanis sitam docet Casaub. Exercit. 1. Apparat. ad Baron. 27. & locum de ea insignem profert ex Eusebii libro nondum edito; qui huc omnino referendus.

Ibid. *Ut in Jesu libro scriptum est* Nempe Josu. XIV. Comm. ult. quæ verba inf. vide §. 115. etsi alii eum locum aliter converterunt.

§. 97. lin. pen. *Extremo vitæ suæ tempore.* Nempe, anno ætatis LXXXV.

§. 101. *Hac est,* pulchre cum his consonant, quæ ex Eusebii libro nondum edito refert. If. Casaub. *Exercit. 1.27.* advers. Baron. ut diximus paulo ante ad §. 92.

§. 115. lin. 5. *Cariatharbe.* Alia versio ita habet: *Fuit enim Arba homo magnus inter Anakim.* Sed alteram illam vulgatam lectionem agnoscit Hieronymus.

§. 128. lin. ult. *Frequenter computat,* Ipsius situm tamen prætermittit; quod reprehendit non injuria Jacobus Zieglerus *Palæstina sua pag. 45. & seq.* Eleutheropolis procul à Cæsarea Palæstinæ LXVII. M. p. ab Helia X. ad dextram viæ ad Chebronem, contra Bethsuram, procul ab Ascalone XXIV. à Diospoli XVIII. Unus Antoninus in Itinerario facit mentionem. Hieronymus cum non ex alio loco plures distantias suscipiat, nusquam situs ipsius meminit. Idem admisit in Legione, oppido Galilææ, cum maxime desideraretur ambarum situs, & Scriptoris studium. Sed ut ipse reprehendi ob id propter venerationem non debet, sic probari non potest. Sunt præterea centum loca alia, ubi requiritur in aliis distantia, in aliis inclinatio, in pluribus utrumq;. Utiq; si sui seculi hominibus scribebant, is & Eusebius præsentibus neq; toto commentario

opus

opus fuit, si absentibus autem, & loco & ætate, ubi Palæstinæ situm manere incolumem per commentarium volebant, venire his in memoriam debeat, quid ad absentes suscepta professio postulabat. Dissimulare non possum, magni auctores, & ipso tempore consecrati, si aliis commentationibus tractandis, ejusmodi sunt, ut plura, quæ argumentum postulabat, reliquerint, & quæ non reliquerunt, alia affectibus, alia arbitrariis allegoriis, allusionibus permiserunt (absit increpatio) quod à plerisq; nostri seculi hominibus observantius, quam religiosius legantur.

Ad Cap. IV.

§. 24. *Bersabee*, Jacobus in Ægyptum cum familia descendens heic sacrificavit Domino: qui ibi ei se ostendens jubet bono esse animo, & in Ægyptum descendere, pollicitus ibi multiplicaturum ipsius sobolem, & reducturum in terram Chananæam. *Gen. XLVI. & 1. seq.*

Ad Cap. V.

§. 7. *Hieronymo teste*, Imo sacris literis ipsis, ut Josu. *XIII.*

§. 49. Per hoc desertum transeuntes Cæsaris milites juvisse videtur aquâ, vino, & id genus subsidiis Herodes apud Josephum Lib. *XV. Antiq. X.*

Ad Cap. VI.

§. 6. Vide Buchananum Psalmo LXXXI. 6. ad eumq; locum Nath. Chytræi scholion.

§. 17. De Pharo, præter alios videndus d. Nathan Chytræus scholio ad Psalm. Buchaanani LXXVII.

§. 18 *Et Bibliotheca, de quibus suo tempore dicemus uberius.* Ante id præstitit Dn. Auctor, quando Orationem habuit de Bibliotheca Julia & An. cIↄ. Iↄc. XXII. edidit.

§. 41. *Tem-*

§. 47. *Templum in præfectura Helipol. etc. condidit*, Oppidum cum templo condidit. Joseph, Lib. I. *bel.* I.

§. 55. *Memphis.* Proculus Grammaticus apud Trebol. Pollionem memorat, apud Memphim in aurea columna Ægyptiis literis scriptum fuisse; tum demum Ægyptum liberam fore, cum in eam venissent Romani fasces & prætexta Romanorum. *In vita AEmiliani XXI, tyranni.*

§. 57. Vide ad §. hunc Johan. Helfrick V. Decembr.

§. 67. *Cujus mentem elegantissimis versiculis expressit paraphrastes.* Decem plagas Ægyptiorum, ait Nathan Chytræus Scholio ad Psalm. LXXVIII. Memoriæ causa quidam his versiculis rythmicis non plane illepidis est complexus:

> *Prima rubens unda: ranarum plaga secunda:*
> *Inde culex tristis: post musca nocentior istis:*
> *Quinta pecus stravit: vesicas sexta creavit:*
> *Post sequitur grando: mox brucchus dente nefando:*
> *Nona tegit solem: primam necat ultima prolem.*

68. *Ad sinum maris rubri.* Sinum hunc Ptolemæus vocat Arabicum. Alii Erythræum mare ab Erythra rege juxta habitante, vel in eo submerso, dictum volunt. Nam alias hoc mare nihil à cæteris differre colore constat. vide cit, Nath. Chytræi *scholion ad Psalm, LXXVII.* Tetigit miraculum hoc, cujus in hoc §. fit mentio, regius vates Psalm. LXXIV.

§. 69. *Josephus.* Davidis eadem narratio hac de re, aut certe de gestis ad montem Sinai Psalm LXVIII.

§. 70, *Eandem rem,* pertinent quædam item huc Psalmo LXVI.

§. 81. *In deserto Sin.* Pulcerrimis versibus hanc rem expressit Buchananus Psalm. LXXXIIX. 17. *cum seq.*

§ 83 *Tumultuatum est.* De hac seditione in Massa & Meriba ita est Psalm. XCV.

Nec velut ad Meribam me rixis inquit, acerbis
Et arroganti provocetis murmure.

Ibid. *Magnam aquæ vim elicuit.* Psalm. LXXIV.

--- --- *Inter æstu arenas torridas*
De cote dura limpidi
Fluxere rivi.

Et Psalmo LXXXI. 8.

-- *Meribam propter tua jurgia passus*
Feci tui periculum. Adde Schol. Chytræi.

§. 112. *per XL annos habitans tecum Dominus.* Deus populo huic benefecit: ille vero contra obmurmurationibus & apertis seditionibus (ne quid de idolorum cultu alisq; peccatis dicam) totis XL annis benignum illum parentem offendere atq; offensam ejus provocare nihil veritus est. Qua de re ipse interdum queritur: ut *Psal. XCV.* ante citato.

Ad Cap. VII.

§. 41. *Illud divisi fluminis.* Quo etiam respexit vir sanctus Psal. LXXIV.

-- *Te imperante substitit*
Arente flumen alveo.

§. 59. *Prope solus ager Hierichuntinus gignebat.* Solini locus è Cap. XXXV. omnino huc referendus una cum Salmasii Annotationibus; & Taciti è Lib. V. Hist. de Balsamo & Palmetis.

§. 20. *Erat Lydda.* Lyddam cum habitatoribus sub hasta vendiderat ante C. Cassius, cum Emmuante & aliis duobus oppidis. Joseph. *Lib. XIV. Antiq. Cap. 18.*

Ad

Ad Cap. IIX.

§. 2. Sub. fin. *Campestria enim Sarona dicebantur.* Non fuisse urbem, sed regionẽ, ex Hieronymo probat Beza Comment. ad *Act. IX. 35.*

§. 3. *Erat & Gophna.* Gophna & Thamna; praetereaq; Emmaus & Lydda una cum habitatoribus sub hasta venditae sunt jussu Cassii, quod imperatam ab eo pecuniam non dependent, aut tardius eam dissolverent, Joseph. *Lib. Antiq. XIV. Cap. 18.*

§. 10. *Propter gravia populi peccata.* De his populi Israëlitici peccatis, eorumq; poenis vide *Psalm. LIIX. 56. & seq. apud Buchanan.*

§. 51. *Caesarea.* Eusebius Pamphilus, scriptor Ecclesiasticae historiae primarius, Episcopatum heic, tempore Constantini Magni, gessit. Unde Caesariensis nomen adeptus est. Vide quos de scriptis ejus diximus in ἱδοιπορικῷ nostro, qui praelum expectat.

Ad Cap. IX.

§. 22. *Melchisedech.* Vide de eo viri eruditissimi Petri Cunaei sententiam in lib. de rep. Hebraeor.

§. 36. *Sephoris.* Haec una est de quinq; urbibus, in quibus Gabinius conventus Juridicos celebrari voluit, ut est apud Joseph. *lib. XIV. Antiq. Cap. X.*

§. 39. *Hic mons Itabyrius.* Ad montem hunc congressus cum Gabinio Aristobulus X millia suorum amisit. Joseph. *d. Lib. Cap. XI.*

§. 45. *Tarichea.* Videtur hinc C. Cassius Epistolam XI. Lib. XII. ad famil. misisse ad Ciceronem. Profectus enim in Syriam, dedit eam nonis Mart. ex castris Taricheis. Anno urbis. DCCX.

§. 50. *Bethsaida. Luc. IX. 10.* Reversi discipuli memorant Domino Servatori, quicquid fecerant: quos ille mox seducit à populo in locum hunc desertum civitatis, quæ vocabatur Bethsaida. Verum populus etiam huc Eum sequebatur; quos exceptos de regno DEI docet, & sanat ægrotantes. Vide *Cap. VI. Lib. II. Observat. mearum Juvenil.*

§. 62. *Miracula plurima.* Petri item socrum gravi febri conflictantem *Matth. VIII. Marc. I. Luc. IV.* Paralyticum à quatuor viris per tegulas demissum *Matth. IX. Marc. II. Luc. V.* Multosq; dæmoniacos, & variis morbis dejectos, sanavit. Matthæum quoq; heic vocavit & in numerum discipulorum allegit. *Matth. IX. 9. Marc. II. 14 Luc. V. 27.* Cœnavit cum publicanis & peccatoribus, idq; factum defendit.

Ibid. Jairi filiam è morte revocat invitam. *Matth. IX. 18. Marc. V. 22. Luc. IIX. 41.*

§. 65. *Chorazin.* Vide Observation. mearum juvenilium loc. sup. §. 50. citatum, ubi ex Origene lego *Regio zin.*

§. 71. *Tetrarcha Ituraæ.* Pilatus Judæam præses administrabat, Philippus autem Ituræam & Trachonitidem, de quibus refert Hieronym. quasi sit eadem regio duplici nomine, dicens, Trachonitis regio sive Ituræa, cujus Tetrarches fuit Philippus, in qua est Cæsarea Philippi, eadem dicta Paneas. Omisit Dn. Heidmannus Abilenem, quam Lysanias, teste eodem Hieronymo, obtinebat, quæ est inter Libanum & Antilibanum, quam Ptolemæus Lysanion appellat. Confer infr. §. *158. 175. & 164.*

§. 77. *Marcus & Lucas regionem Gadarenorum faciunt.* Lucæ verba hæc sunt: χῶρα τῶν γαδαρηνῶν ἐστιν ἀντιπέραν τῆς γαλιλαίας. VIII. 26. De lacu Gadareno, (ita eum vocat) & toto isto Servatoris nostri miraculo copiose & erudi-

rudite differit Zieglerus *Palaestina sua pag. 49. 6. & seq.*

§. 82. *Ingratiam Demetrii.* Demetrii hujus gratia, opes & fastus intolerabilis è Plutarchi Pompejo discendus.

§. 87. lin. ult. *Ejusdem Quintilianus.* Nempe *Lib III, Cap. I. Theodorius Gadareus, inquit, qui se dici maluit Rhodium; quem studiose audisse, cum in eam insulam secessisset, dicitur Tiberius Caesar.* Et paulo post: *plura scripsit Theodorus; cujus auditorem Hermagoram sunt qui viderint.*

§. 112. *Neq, longe ab ea aberat Dan.* Ad hanc usq; urbem reges Asiaticos, victores jam, & cum praeda redeuntes domum, persecutus est Abrahamus, quibus praelio victis ademit & ista bona, & captivos, in iisq; Lotum fratris sui filium, reduxit in patriam, *Gen. XIV, Joseph. Lib. I. Antiq. Jud. Cap. XI.*

§. 136. *Et domina maris.* De qua in Psalm. XLV. canimus.

Undarum regina Tyrus te murice & auro
Accumulans colet.

Ad Cap. X.

§. 49. *Ibiq, servati sunt.* Vide Casaub. Exercit. II. advers. Baron. IV.

§. 50. *Regnum Basan.* Ubertatem Basan, & magnificentiam non obscurè indicat David Rex & Propheta *Psalm. LXVIII.* ubi Hierosolymorum felicitatem ei anteponit. Quam sententiam elegantissimus Buchananus his verbis exornavit.

Usq, sibi Basan placeat, jactetq, superbus
Fastigia proxima caelo:
Ne tamen herbiferos saltus, ne pascua sacro
Ausit conferre Sioni etc.

§. 80. *Ut in eam nos transcribat civitatem.* Quin jam trans-

scripti sumus in eam, modo digni ea inveniamur, dignosq; illa nos geramus. Etenim ut est in Epistola ad Hebræos *Cap. XII 22. & seq. Accessistis ad montem Sion, & civitatem DEI vivi, Hierusalem cœlestem & myriadas angelorum: conventum universalem & concionem primogenitorum, qui conscripti sunt in cœlis.*

Ad Παραλειπόμενα.

§. 2. *Igitur Essæi.* Exstat liber Philonis sapientissimi Judæi de statu Essæorum, id est, monachorum, qui temporibus Agrippæ regis monasteria sibi fecerunt, junctus Philippi Presbyteri tribus commentariorum libris in historiam Jobi, editus Basil. an. M. D. XXVII. in Bibliotheca patria, quæ est Helmstadi.

§. 10. *In primis vero magna religione Deum esse veneratos.* Quin ipsi dono vaticinandi præstitere, ut Judas ille Essæus de quo videndus Joseph. *Lib.* XIII. *Antiq. Jud. Cap.* XIX. Et *Lib. I. Bel. Cap. III.* Similia eis, quæ heic de Essenis leguntur, vide apud Scriptorem tractatus Brachmanorum, qui falso Ambrosio tribuitur: exstat tamen in calce operum Ambrosii.

Ad partition. regionum.

§. ult. *Hæc Borchardus.* Eundem Burghardum Monachum, terræ sanctæ peregrinatorem novum floruisse circa annum Christi M. CC. LXXXII. in Epitome historiarum universali scribit Achilles P. Gassarus.

INPA-

IN PALÆSTINAM V. CL: CRIST: HEIDMANNI.

VEnerande præses masculæ eloquentiæ,
Seu trans marino rore Cyprii nectaris
Veterum eruditas perpluis sententias,
Sive ore Latio grande virtutum decus
5. Pulchrasq; laudis explicas imagines.
Consultus humanæ optimus prudentiæ,
Nemo beatè vivere potest & bene,
Sanctisq; miserum hoc moribus transmittere
Quod superat ævum, publico nisi bono
10. Sese esse natum patriæq; creduit;
Sive illa rectæ mentis augustam facem
In erudito pulvere dari postulet,
Seu pectora coquat inclita victoriæ
Generosus ignis, propter usus publicos,
15. Sanè maligni triste livoris malum
Produxit aliquas seculi diras aves,
Queîs cæcus error sensum inenatabili
Styge tinxit omnem & intimas animi vias;
Uti nihil operæ judicent precium bonæ
20. Nisi apparatu splendido rerum dari
Domesticarum, quasq; Noctis improba
Proles tuetur, pestis hominum pessima,
Imò imperita tollit indignatio

In

Infame vulgus, atque turmales gregis
25. Statuas inertis, in pios ipſos Patres,
Hominumq; puro proximum cœlo genus;
Queis publica ſalus intimos ſenſus quatit
Meliore thyrſo, & ſanctus exhauſtos edit
Artus cupido literarii boni,
30. Quo veluti fulcro nixa ſtat respublica,
Ita impotentis degener vulgi furor
Incumbit altis perpetuus auſis Comes!
Sed ſunt eorum bruta fulmina Veiovum,
Primoq; nata intermori ſtatim impetu,
35. Dum rubea dextra fulminatoris DEI
Divina ſacratela concluſit ſpecu:
Ineptiæq; ſunt meræ mortalium.
Et tu invidendâ conſpicuus adorea
Rectæq; radio gloriæ æterno potens,
40. Quem ſera nunquam merget Oceano dies;
Optime bonarum diſciplinarum Pater,
Rerumq; ſumma Muſicarum gloria,
Auguſtioris ſidus elegantiæ,
45. Et ſanctioris ſpeculum prudentiæ;
Jam grande dudum diceris Patrum jubar,
Virtute cretis poſteris ſacrum caput:
Niveiq; dudum miris innocentia
Animi beatæ ſe quietis induit
Suavi involucro, dulci honore cœlitum:
50. Jam fama dudum te per horrendas domos
Æternitatis ſeculi magnum decus,
Bonæq; clamat diſciplinæ vindicem.

Ceſſat

Nec adhuc mereri publicis de commodis
Cessat laborum sancta pertinacia?
55 Seu te diurnæ testis igneus operæ
Veteris salutat inter ævi nomina,
Seu tibi Silentes versat ad lychnum choros
Inter minora Luna maior sidera.
Scientiarum penore inexhausto hactenus
60 Aurea gerendæ jura vitæ edisseris,
Veteremq; parvo cogis orbem codice,
Sequacis ævi victor, & fugientium
Tot clare meritis vindicator temporum.
Jam sacra signas inclytæ vestigia
65 Provinciæ, quam largus ætheris favor,
Totoq; cœlo plena sensus entheos
Mens diva vatum, mens Olympi conscia,
Plenam beato munere immortalium
Æquabat astris, quamq; summus conditor
70 Rei universæ gloriæ domum suæ,
Fideiq; puris cultibus sacraverat.
Ut purpurantes cum capillos aureo
Tollit cubili Phœbus ignium Pater,
Cuncta evidenti cernimus discrimine;
75 Et jam coruscat suaviter lætum nemus,
Feruntq; vigiles ad domus caput ardua
Pendentis orbis universi mœnia:
Sic cum bonarum literarum prodiit
Penito recessu et inclytum vibrat jubar
80 Antiquitatis ille Sol reconditæ,
Oculusq; prisci & eruditi seculi,
Jam tandem aperto certus intuitu legit
Animus beatas solidæ opes scientiæ.

Generosa virtus implicat cœlo caput,
85 Stipata castis patrii poli ignibus,
Inscitiæ quos nulla ferit injuria:
Vindiceq; plantâ terream prolem terit,
Cujus caduco fixa mens tugurio est:
At æviternam gemmei vultus facem
90 Utramq; magni extendit ad Phœbi domum.

I. INDEX.

Personas illustriores exhibens, quarum mentio fit in sacra hac Geographia.

Jairi

Nabal

II. INDEX.

II. INDEX LOCORUM.

Prior numerus capita, posterior capitum membra indicat.

Ba-

Ctesi-

Se

INDEX. III.

Locorum quorundam illuftriorũ Palæftinæ longitudines & latitudines è Tabella quadam biblica defcriptæ.

	Longit, gr	min.	Latit, gr.	min.
AEnon	66,	40	32	18
Afcalon	65,	24	31	32
Azot	65,	35	32	0
Bethlehem	65	55	31	51
Bethphage	68	0	31	58
Bethfaida	66	51	32	29
Bethabara	66	54	32	1
Bethania	66	0	31	58
Cana Galilææ	66	52	32	48
Capernaum	66	53	32	29
Carmelus mons	66	31	32	50
Cæfarea Stratonis	66	16	32	25
Cæfarea Philippi	67	39	33	5
Chorazim	66	55	32	29
Dan alter duorum fontium è quibus emanat			3	
Jordanes fluvius	67	25	33	8
Emaus	65	54	1	59
Ephrem	66	8	32	0

	Longit. min.	gr.	Latit. min.	gr.
Gadara f. Gazara	66	48	32	23
Gaza	65	10	31	40
Jericho	66	0	32	1
Jerufalem	66	0	31	55
Joppe	65	40	32	5
Jor alter duorum fontium, è quibus Jordanis fluvius manat	67	31	33	7
Magdala aliter Dalmanutha	66	48	32	28
Naim	66	35	32	33
Nazareth	66	56	32	42
Ptolemais	66	0	32	58
Samaria regia civitas	66	22	32	19
Sidon	67	15	33	30
Siloë	66	7	32	19
Tyrus	67	0	33	20
Tiberias	66	44	32	26

Cl. Viro

Cl. Viro·

CHRISTOPHORO HEIDMANO,

Palæstinam suam vulganti.

INclyte sacerdos aureæ prudentiæ,
Sapiensq; custos mollis ævi, quod probis
Cultibus amœnæ fingis elegantiæ,
Figisq; laxas publici in studio boni
Mentes nepotum, postera caput rei
Si quam ruenti seculo annuit Deus.

Hoc quisq; pacto natus est mortalium,
Ut universæ machinæ seriem legat
Prudente vultu, quam manu ingenti Pater
Rerum excitavit, atq; parva imagine
Jussit videri Numinis potentiam,
Quam nullus ullo fine claudit terminus:
Vigilumq; pulchram siderum fulgentiam,
Motusq; varios lege certa pendulos,
Et publicarum clara rerum nomina,
Marisq; tractus, atq; terrarum plagas,
Quà mergit undis, quaq; tollit aureos
Phœbus capillos: atre frigus quà ferit
Thulen remotam, quaq; fervidos timet
Sævo perusta gens calores Cynthio.

Hac luce totus disciplinarum micat
Horrendus ordo, hoc sole totus omnium
Scientiarum cultus orbis indiget:
Et quas vigere luminis domestici,
Et quas beata gratiæ capit face
Speculatur universitatis, ætheris
Divina proles, cœlitum sacer tradux.

Hinc eruditæ magnus Eusebies bene
Sanxit senatus, neminem adolescentium,
Quem prima sacri cura codicis tenet,

Tot

Tot posse varias nosse temporũ vices,
Veterisq; faciem seculi cognoscere,
Nisi docta recti pravia ducis sit manus,
Oculusq; magna matris exactè sciens;
Qui vasta spacia dissitarum partiũ,
Quarumq; fixo verticem vultu coquit,
Quibusq; certo tempora creat ordine
Cœlestium rex & sater Quiritium;
Qui longa rerum mente gestarum queat
Momenta condere & eleganter promere.
Sed nosse prim' est labos vestigia
Provinciæ, quam largus ætheris favor,
Totoq; cœlo plena sensus entheos
Mens diva Vatum, mens Olympi conscia,
Æquavit astris, quamq; nemo fidelium,
Cui cor sapit, menti litatumq; est bona,
Nescire debet, maximam scientiæ
Partem salubris, qua polo conterminas
Mentes inerte vindicamus carcere.
Laboriose at quis reductam pectine
Seriem atq; multa tantus arte intexuit
Rerum sacrarum, tantus autor omnibus
Modis probatur literariis viris,
Quos diva novit, quæ patri secuit caput?
Heidmanus, ille masculæ eloquentiæ
Prudentiæq; conditor. sed quid juvat
Deterere magnum carminis culpa decus?
Vive optimarum Corculum virtutium,
Et conde Olympi fornice horrendo caput:
Utroq; clarus orbe commendaberis
Pater juventæ, publicæ pater rei.

M. Johannes Strubius.

FINIS.